



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1551. usque ad annum 1553

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771


VD18 90118561

Liber CXLIX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66577](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66577)



HISTORIÆ
ECCLESIASTICÆ
LIBER CXLIX.



JULIUS III. PONT. MAXIMUS,
CAROLUS V. OCC. IMP.

§. I.

Orientalis Patriarcha Romam veniens.

Ineunte hoc anno Domini millesimo
quingentesimo quinquagesimo tertio
Simon Sulaka, seu Sultakam Ordinis
S. Basilii Alumnus, totiusque Orientis
trans Euphratem usque ad Indos
Patriarcha Romam accessit, ut a Julio
III. Papa in sua dignitate confirmaretur.
Mittebatur ab ipso Clero suo, ac
die

Sæcul. XVI.
A. C. 1553.

Ciacon. t. 3.

p. 744. 6752

Spond. hoc
ann. 1553.

n. 16.

Raynald. eodem
n. 44.

Duchesne
hist. des Papes
Jul. III.

p. 409.

Pallav. l. 13.

c. 4. n. 4.

Sæcul. XVI die decima quinta Februarii ad Pontificis alloquium admissus eidem demandatæ potestatis literas tradidit, quæ nomine sui Cleri, ac Primorum ex populo scriptæ anno præcedenti millesimo quingentesimo quinquagesimo secundo datæ fuerant.

§. II.

Orientalium literarum inscriptio ad Papam.

*Spond. l. c.
Masson. in
Jul. III.
Ciacon. l. c.*

Hæ literæ juxta stylum Orientalibus familiarem summum Pontificem præprimis amplissimo honorabant elogio, tenoris sequentis: *Patri Patrum, & Pastori maximo, concinnanti mitras, ungentique Sacerdotes, & cingenti Tonnis, Petro temporis nostri, ac Paulo dierum nostrorum, & cingulo comprehendenti universum cætum Christianorum, qui es loco Christi Domini nostri. Tu sedes in Sede alta, & sublimi Principis Apostolorum, tenentis claves regni celestis, cui ore suo salutari Dominus noster dixit, quidquid ligaveris in terra, erit ligatum & in cælo, & quidquid solveris in terra, erit solutum & in cælo: & super eum fundavit Ecclesiam suam, adversus quam portæ inferi nihil valebunt in generationes: nunc porro tibi eam dedit Christus Deus noster, & Saluator*

Sæcul. XVI.
A.C. 1553.

vator noster, ut sedeas super eam. Tu item es fons vivus, cujus aquæ non deficiunt: & quisquis sitiverit, æquum est, ut ex te bibat aquas vitales, ut sedet sitim suam. Tu es lucerna, quæ non extinguitur, sed illustrat omnes creaturas, ut candela, quæ est supra candelabrum: & ut Joannes Baptista, qui posuit dexteram suam super caput Christi Dei nostri: & in te videt lumen universa Respublica Christiana, quæ est proles Ecclesiæ sanctæ. Tu es murus fortis civitatis, & matris Civitatum Romæ magnæ, quam piscatus est Princeps Discipulorum Petrus, & prudens Architectus Paulus, qui lumen præbuerunt omnibus hominibus distentis, atque implicatis errore Satanae. Tu es caput omnium Patrum, sicut erat Petrus caput omnium Discipulorum: cui ut est data sedes alta & sublimis in terra, sic bis ultimis temporibus alta, & excelsa est sedes tua, ipsa Roma magna, & celeberrima. Vocantes se autem pupillos absque Patre, petierunt a Julio, ut, quem elegerant in pastorem, confirmaret, & consecraret, adicientes, quia Sacerdotium nostrum a priscis temporibus a Roma est, quæ est Sedes Petri, ac dolentes jam annis trecentis viam fuisse ab Agarenis interclusam, quo minus Romam ire possent. Huic epistolæ ejusdem generis

Hist. Eccles. Tom. XLI.

M m aliam

Sæcul. XVI.
A.C. 1553.

aliam addiderunt Nestoriani illi, qui eundem electum Patriarcham Romam abeuntem comitati fuerant Jerosolymam usque.

§. III.

Historia de electione, atque itinere huius Patriarchæ.

Onuphr. in
Jul. III. vi.
de Bzovium
hoc anno.

Præfati Nestoriani, etsi nomen Nestorii, nequaquam tamen illius errores retinebant, sed illos plusquam trecentis abhinc annis ejuraverant. Hi quidem ex primævo usu Patriarcham suum ipsimet eligebant, hancque consuetudinem per plura sæcula conservabant, nihilominus circiter ante centum annos hæc dignitas in eadem familia hæreditario jure propagabatur, suffragante audacia cujusdam Patriarchæ, qui primo huic usui derogare cœperat, demum vero ejusmodi ausibus opitubatur aut socordia, aut virium imbecillitas illorum, qui violentæ huic usurpationi jam in suis incunabilis sese fortiter opponere negligebant: Defuncto autem Simone Mama de vindicando veteri electionis jure actum fuerat; quamvis enim postremus hic Patriarcha, cum adhuc viveret, Filium suum sibi successorem in Patriarchatu destinasset, omnes tamen Ecclesiastici æque, ac Laici

Laici oblatam sibi abrogandæ usurpa- Sæcul XVI.
tionis occasionem nacti pristinum jus A.C. 1553.
revocabant, vi cuius Patriarcham dein-
ceps per suffragia eligendum fore de-
clarabant: Convenere igitur in civita-
te Muzal nonnulli Episcopi, qui tum
soli huic genti supererant, unacum
Babylonæ, Tauris, Ecbatanæ, Nifi-
bis, aliarumque plurium urbium Depu-
tatis, qui una omnes in Sulakam Da-
nielis filium ex nobilissimo genere de
Balla ortum sua suffragia conferebant.
Erat is Vir ob perspectam morum pro-
bitatem, doctrinæ eminentiam, atque
Orthodoxæ fidei studium longe celebra-
rimus, qui non nisi per vim ex Mona-
sterio, *Rabban Hormisd* nuncupato, in
quo cum summa virtutum laude vixe-
rat, extrahi potuit. His, aliisque præ-
clarissimis dotibus eminuit Salaka, qui
a proprio suo Clero Romam mittebatur,
ut electionis suæ confirmationem obti-
neret, prout mox meminimus.

§. IV.

*Patriarcha a Papa solemniter excep-
tus.*

Hunc Patriarcham cum insolita ani-
mi benevolentia exceperat summus
Pontifex, ejusque electionem ratam
habens, ipse illum consecrabat, po-
stea

M m 2

stea

Sæc XVI.
A C 1553.

stea vero in pleno Patrum Senatu eadem *Pallium* tradebat, ac denique die decima septima Mensis Aprilis illum amplissimis muneribus locupletatum in patriam remittebat, adjunctis quibusdam Religiosis Syri sermonis, ac Ecclesiæ Romanæ rituum peritis, ut hi fidem Catholicam eo facilius in hæc regionem propagarent.

§. V.

Fidei professio ab hoc Patriarcha facta.

Onuphrius
l. c.
Roynaldus
n. 44.

Ceterum fidei professio, quam Sulaka Patriarcha summo Pontifici porrexit, tredecim complectebatur articulos, in quorum primo. „Profitebatur Deum in natura unum, atque in „Personis trinum, Spiritum Sanctum „quoque a Patre, Filioque tanquam „principio procedentem II. Credebat, „quod unigenitus Dei Filius Patri consubstantialis, semperque cum Patre, „& Spiritu existens in plenitudine temporis incarnatus sit de Spiritu Sancto „in immaculato Beatæ Virginis utero. „III. Profitebatur, quod Dei Filius „ex Maria semper Virgine, ac vera „Dei Matre natus, vere passus, mortuus, & sepultus fuerit, vereque cum „anima descenderit ad inferos ad liberan-

„randum Patres , ac subinde vere ex
 „mortuis surrexerit , & per quadragin-
 „ta dies Apostolos docuerit , moxque
 „ad Coelos ascenderit , sedens ad dexte-
 „ram Patris IV. Fatebatur , quod nul-
 „lus unquam homo fuerit salvatus , nisi
 „per fidem Christi Mediatoris in san-
 „guine , & morte ipsius. V. Admit-
 „tebat , quod omnia legalia præcepta
 „Veteris Testamenti , seu legis Mosaicæ
 „adveniente Christo cessaverint , & jam
 „promulgato Evangelio servari non pos-
 „sint sine amissione salutis æternæ. Con-
 „sistebatur etiam Patriarcha hic septem
 „Sacramenta , eorumque materiam , for-
 „mam , & Ministrum , qui facere inten-
 „dit , quod facit Ecclesia. VI. Assere-
 „bat , quod purgatorium , in quo animæ
 „post mortem purgantur , detur , ac pro-
 „sint defunctis vivorum suffragia , ac
 „Missæ Sacrificia , orationes , & elee-
 „mosinæ : illorum autem animas , qui
 „post Baptisma susceptum nullam om-
 „nino peccati maculam habent , mox
 „in Coelum recipiendas dicebat , ubi vi-
 „sione beatifica fruuntur , animas ve-
 „ro eorum , qui in actuali gravi pec-
 „cato , vel cum solo originali decedunt ,
 „mox descendere in infernum confite-
 „batur , ubi tamen disparibus poënis
 „punirentur. VII. Acceptabat Sym-
 „bolum Nicænum. VIII. Necnon Cano-
 M m 3 „nem

Sæc. XVI.
 A. C. 1552.

Sæcul. XVI. „nem librorum Sacræ Scripturæ, eo
A C. 1553 „modo, quo illum nos hodie ad-
 „mittimus, libri tamen Esdræ nullam
 „faciebat mentionem. IX. Tanquam
 „Orthodoxum amplectebatur, quicquid
 „in prima Synodo Nicæna fuit defini-
 „tum X. Approbat pariter quartum
 „Concilium generale Chalcedonenſe,
 „damnabatque Eutychetis, & Dioſco-
 „ri hærefin. XI. Recipiebat primam
 „Synodum Ephesinam, ac reiiciebat
 „Nestorianam hærefin unacum ejus Au-
 „thore Nestorio. XII. Suscipiebat om-
 „nia alia Concilia, quæ Romana Ec-
 „clesia recipit, damnabatque omnes
 „hærefes, quas illa condemnat: quic-
 „quid vero hæc tenet, etiam a se cre-
 „di dicebat. Denique XIII. Se vene-
 „rari faſſus eſt ſedem Apoſtolicam, pri-
 „matum Pontificis, huncque agnoſce-
 „bat tanquam Divi Petri Succeſſorem,
 „ac verum Chriſti Vicarium, eique,
 „atque illius Succeſſoribus obedientiam
 „ſpondebat. Hanc fidei confeſſionem
 Patriarcha ſummo Pontifici obtulit
 die decima quinta Februarii.

§. VI.

*Patriarchæ Antiocheni Orator a Pa-
 pa exceptus.*

Sub idem ferme tempus Julius Papa
 pariter quemdam Affyrium Jacobi-
 tam

tam nomine Moysen Mardenum excep-
 rat. Hic a Patriarcha Antiocheno Romam
 decernebatur, ut ipsius nomine Romanæ
 Ecclesiæ fidem publice profiteretur, se-
 dique Apostolicæ obedientiam præstaret.
 Porro ad ejusdem Mardeni preces, nec
 non ex Ferdinandi Romanorum Regis
 liberalitate Viennæ Anno Domini mille-
 simo quingentesimo quinquagesimo quin-
 to prima vice editum est lingua, & cha-
 ractere Syriaco novum Testamentum,
 operi incumbentibus ipsomet Mardeno,
 & Joanne Alberto Widmanstadio Au-
 striæ Cancellario. Hoc idem insigne
 opus aliquot post annis Tremellius E-
 manuel secta Judæus Genevæ literis
 hebraicis imprimi curabat: ast illud
 plurimum depravabat. Porro præfa-
 tus Tremellius, ex Patre Judæo Ferrar-
 iæ natus, atque ex Anglia mortuo E-
 duardo VI. in Germaniam reversus est,
 ibidemque in Collegio Hombacensi lite-
 ras publice tradebat, cum autem lin-
 quarum peritia excelleret, Heidelber-
 gæ idioma hebraicum tradebat, ibidem-
 que Syriacam novi Testamenti inter-
 pretationem latine reddebat, ac vete-
 ris quoque Testamenti libros juxta tex-
 tum hebraicum denuo vertere aggredie-
 batur, atque in laboris socium sibi ad-
 optabat Franciscum Junium. Ceterum
 latinam novi testamenti Syriaci versio-

Sæcul. XVI.
 A. C. 1553.

*Onuphr. in
 vita Julii
 III.*

*Spond. hoc
 ann. n. 18.*

Sæcul. XVI. nem ad examen vocabant tam Lovanienses, quam Duacenses Doctores, illamque pluribus in locis omnino corrigendam censebant.

§. VII.

Congregatio per Papam erecta pro emendatione Ecclesiæ.

Ciacon. t. 3. p. 745.
Pallav. Hist. Conc. Triad. l. 13 c. 4. n. 3.
Raynald. n. 46.

Cum interea summus Pontifex pro solida disciplinæ emendatione utilis decretis etiam post dissolutam Synodum stabiliendis semper intentus esset, hinc pia hæc consilia in Patrum Senatu manifestabat, his verbis Patres alloquens. „Ut sacra Ecclesiæ disciplina „melio-rem in statum reduceretur, Tridentinam convocavimus Synodum, „cum autem pio nostro consilio, ac voluntati optatus haud adspiraret successus ob belli tumultus primo in Italia, „& postea in Germania suscitatos, ideo „peropportunum censemus, ut ea, quæ „Tridenti ad exitum deduci non poterant, saltem Romæ perficiantur. „His dictis satis numerosam instituit Congregationem Cardinalium, ac Prælatorum, qui morum correctioni adlaborarent, imo plures adhuc creabat Cardinales, ut proximis consultationibus exinde majus firmitatis, auctoritatisque pondus accederet. Seligebantur hanc

in rem non nisi Viri virtutum, ac scientiæ laude longe clarissimi, eisque præerat Cardinalis Sancrucius, qui postea sub nomine Marcelli II. ad summi Pontificatus apicem ascendit. Porro sanciebatur, ut præprimis decreta ederentur circa comitia, in quibus summi Pontifices eligendi sunt: postea vero ad Cardinalium, Cleri, aliorumque emendationem procederetur. Hæc Pontificis consilia die decima septima Augusti in pleno Patrum confesso prælegebantur: ast obortis pluribus rerum difficultatibus, ac sententiarum varietatibus tot emergebant incommoda, ut nil concludi posset, hæcque Congregatio idem fatum subiret, quod aliæ sub prioribus summi Pontificibus experiebantur, & quamvis initium ferveret, medium tepescebat, ac denique totum negotium in irritum cadebat.

Sæcul. XVI.
A.C. 1553.

§. VIII.

*Pontificis conatus pro reddenda pace
Cæsarem inter, & Galliarum
Regem.*

Cum summus Pontifex spe sua frustraretur, saltem rem coeptam ad exitum magis prosperum facilius deducere sperabat, si tanquam bonus Pastor sua solertia firmam pacem Cæsarem inter,

Pallav. 6. 5.
n. 5.

M m 5 ter,

Sæcul. XVI.
A.C. 1553.

ter, & Henricum II. Galliarum Regem procurare possit, cum hi totam ferme Europam belli flammis involverent. (*) Præprimis igitur sedis Apostolicæ Nuntium, ut ejus opera inter illos unio, ac concordia redderetur, ad utrumque ablegat, & quidem Prosperum Sancta crucium ad Galliarum Regem, Achillem vero Grassium ad Cæsarem decernit, simulque Prospero injungit, ut certum redderet Regem de sincera Pontificis reconciliatione, quæ, tametsi suspensionis *temporariæ* nomen haberet, perpetua tamen pax re ipsa futura foret; insuper hic idem Regem commonere jubebatur, quam pariter opportuna Ecclesiæ esset inter ipsum Regem, ac Cæsarem ineunda concordia: cum enim per eorum discordias incrementa caperent Turcæ, atque hæretici, hinc non fidei solum, sed gentis Catholicæ hostes tantum sibi locorum, ac civium acquirerent, ut iis coercendis ab ipsorum postea potentia pares aggeres extrui non possent: præterea spondebat Papa, semetipsum accessurum ad eam rem

(*) En causam, ob quam ceptum emendationis negotium suo successu frustrabatur: Scriptorum autem nullus præter Continuationem rem reiicit causam in sententiarum varietatem.

componendam, ubi ambo Principes eo propenderent. Ceterum Grassio junctum, ut nomine Pontificis Cæsari, eoquod is Parmensem concordiam comprobasset, grates ageret, & post brevem eorum, quæ ipse in iis negotiis egerat, rationem expositam, significaret id, quod apud Henricum II. sicuti modo diximus, actum esset de pace, ad eamque facilius perficiendam, quod ab eo dependeret, ipsum hortaretur. Porro Pontifex quemadmodum vivo, promptoque pollebat ingenio ad rationes in re qualibet excogitandas; ita plurimis argumentis multa illi suadebat, quæ quieti, prosperitatique communi deserviebant, istorumque præsertim tria erant: I. Cæsar Bressellum Ferrariæ Duci restituat; cum id non æquitatis tantum, sed etiam prudentiæ ratio postularet, ne abalienaret a se pollentem viribus in Italia Principem, summeque clientem, qui in bello præterito neutri parti addictus fuerat. II. Libertatem reddat tribus nobilibus Gallis, per Cæsareos nuper captis, cum id & generosi esset animi, & plane laudandum, neque Cæsari quidquam officeret. III. Amice se gerat cum Farnesiis, reddatque Octavio ditiones, & Cardinalibus Beneficiorum proventus, quos in regno Neapolitano possidebant.

Atta-

Sæc. XVI.
A.C. 1553.

Sæcul. XVI.

A.C. 1553.

Attamen omnes hæ rationes utriusque Principis animum nequaquam ad concordiam flectere poterant, cum illi adhucdum mutuo bello sese laceffere haud desisterent.

§. IX.

Duo Legati a latere ad utrumque Principem per Papam decreti.

*Pallav. l. 13.
c. 6. n. 1.*

Cum summus Pontifex diffidia inter eos non sine magno Religionis dispendio indies augeri cerneret, alia adhibere media tentabat, cumque vehementer optaret, ut ejus opera pax redderetur inter supremos hosce duos Principes, qui armis suis universam pene Europam devastabant, hinc duos Legatos a latere Hieronymum Dandinum ad Cæsarem, Hieronymum vero Capiteferreum ad Galliarum Regem destinabat, eoquod ambo hi Cardinales horum Principum negotia optime callebant, iisque plurimum accepti essent. His igitur injunctum, ut exponerent in utraque Aula, a Pontifice nullum aliud nisi communis Parentis commodum spectari, nulla habita consanguineorum ratione, pro quibus nec optaret, nec accepturus unquam esset a Principibus beneficium ullum: cum ipse sibi videretur obstringi ab incrementis Turcarum,

&

& hæreticorum, ut non in familiæ suæ Sæcul. XVI.
 sed in Ecclesiæ emolumentum impen- A.C. 1553.
 deret, quidquid gratiæ apud Catholi-
 cos Principes reperiret.

Quinimo Pontifex acriter (*) Sanctacrucium objurgari præcepit, eo quod sæpius liberiori sermone privatis Papæ commodis favisset, unde suo nomine eidem mandari jussit Pontifex, ut deinceps ab ejusmodi verbis absteret. Idem quoque negotium Dandino apud Cæsarem committebatur, præprimis vero eidem præceptum, ut suæ legationis seriem Atrebatensi Episcopo, qui maxima in Imperio auctoritate valebat, exponeret, huncque Ministrum piis Papæ consiliis propitium reddere satageret. Ceterum Pontifex Sanctacrucium eo ex capite redarguebat, eo quod hic sua sponte transegisset cum præcipuis Franciæ Ministris, & cum ipso Galliarum Rege, ut nimirum hic suas vires impenderet, quibus Pontifex Senas occuparet, & Ecclesiasticæ ditioni jungeret: cum id Cæsar & Italici Prin-

(*) Hæc Continuator ex Pallavicino descripsit, qui tamen ait Sanctacrucium a Papa fuisse *suaviter* objurgatum: rationem autem hujus mutationis luculenter deprehendet Lector in ipso Pallavicino l. c.

Sæcul. XVI A.C. 1553. Principes minus ægre ferrent, quam si ea Urbs in Gallorum potestatem veniret, ac inde Rex, diminuta æmuli potentia, hæreditariam majorum gloriam auxisset, simul aucta Sedis Apostolicæ ditione.

Porro inde ortum traxit indignatio, quam hic Nuntius sibi accerserat, & forte hanc ob causam legatorum conatus suo frustrabantur successu; ambo enim crebris monitis nequidquam adhibitis Romam re infecta redire cogebantur; adeo enim mutua inter utrumque Principem fervebant dissidia, ut bellum semper eodem furore continuaretur.

§. X.

Terouana a Cæsare obsessa.

Thu. hist.
l. 13.
Belcar.
comm. l. 26.
n. 30.
Sleid. comm.
l. 25. p. 915.

ENIMVERO Imperator, qui hucusque in Belgio hyberna agebat, Terouanam, urbem in Pontivensi Picardiæ Comitatu sitam cingere decreverat, ut damnum in Metensi obsidione anno priori perpeffum repararet: quam in rem præprimis Antonio Crojo Rutili Comiti hujus expeditionis curam committit, eo autem fatis sublato, exeunte Mense Aprili id muneris Pontio Loliano Binicurtio defert. Porro Gallis minime persuaderi poterat, quod ad hujus urbis expugnationem vis verteretur,

tur, cum Cæsar, cujus res plurimum Sæcul. XVI.
 afflictæ in Galliis credebantur, adver- A.C. 1553.
 sa adeo valetudine premeretur, ut eun-
 dem jamjam obiisse, fama ferret: dum
 vero Galli de Imperatoris consilio cer-
 tiores fiebant, mox Franciæ Rex eo
 destinat Andream Montalambardum
 Dessium, cui etiam adjungit Francis-
 cum Montmorantium ejusdem nominis
 Connestabilis Filium, qui summo exer-
 citus imperio, quod ei Rex tradebat,
 Dessio superstite uti noluit. Ceterum
 Terouanam veterum Morinorum Me-
 tropolim, a Cæsare in suis commenta-
 riis sæpius memoratam, cum in Flan-
 driæ, atque Arthesiæ finibus sita sit,
 conservare Gallorum vel maxime inte-
 rerat, cum ipsa veluti clavis Regia ad
 utramque hanc Provinciam hosti adi-
 tum panderet, atque aliunde præ cete-
 ris intra Belgii fines munitissima esset.
 Nihilominus Cæsarei eam stupenda for-
 titudine aggrediuntur, atque hiatu per
 plusquam sexaginta passuum ruinam
 patefacto impetum in urbem tentant,
 & integris decem horis pugnam conti-
 nuant, non sine ingenti utriusque par-
 tis clade, ita ut ex Gallis urbem tuen-
 tibus ipsemet Dessius, Pienna, Rupi-
 posæus, pluresque alii Nobiles truci-
 darentur.

§. XI.

Sæcul. XVI.
A.C. 1552.

§. XI.

Urbs capta, atque Cæsaris jussu solo æquata.

Daniel. hist. de Franc. t. 6. 1722. p. 58
Thuan. l. c.
Mexerey abreg. Chron. t. 4. p. 554.

Cum urbs undique muris nudata esset, Cæsarei tandem die vigesima Junii eandem victores ingrediuntur, ac cum interea de deditiois conditionibus altercatio fieret, urbe potiuntur, ingenti passim Gallorum strage edita; nulli enim ætati, sexui, aut Ordini parcebatur. Capti fuere ipse Montmorantius, pluresque alii, quos tamen Hispani perbenigne habebant, memores illius humanitatis, qua anno priori post solutam Metis obsidionem Guisus Dux illos exceperat: dum vero Binicurtius, seu Bugnicurtius Cæsareus Bellidux accurrerat, victoris militis sævitiam coercebat: Cæsar autem, qui tum Bruxellis agebat, accepto urbis capte nuntio illam e fundamentis dirui, soloque æquari jussit, ita ut nec Ecclesiarum, Monasteriorum, atque Hospitalium ratio haberetur, nec ulla murorum vestigia amplius exstarent, imo ex proximioribus Flandriæ, atque Arthesiæ pagis incolæ advocarentur, urbis rudera collecturi. Hæc Cæsaris mandata adeo accurate effectui dabantur, ut

ut vix ullum urbis dirutæ signum relinqueretur. (*)

Sæcul. XVI.
A.C. 1553.

§. XII.

Hedinum a Cæsareis cinctum, captumque.

Cum omnibus facile persuasum esset, quod Cæsarei capta Teruana ad He-

(*) Impia prorsus temeritate Continuator Cæsarem incusat, perinde ac si ipse hujus inhumanæ destructionis mandata dedisset, cum tamen Thuanus l. c. fol. mihi 894. & 896. etsi natione Gallus, præter alios ingenue fateatur, id factum fuisse ex propria alacritate incolarum, qui Gallorum imperium pertæsi eos summo insectabantur odio: jam ad obsidionis initium, inquit Thuanus, *alacritatem Cæsareorum incitabat turba fœminarum, & puerorum, qui ex vicinis undique pagis veluti ad exoptatissimum spectaculum confluxerant, & rhythmis, ac jocularibus canticis per lasciviam in nominis Gallici contumeliam compositis animos suis faciebant.*

Urbs ipsa, prosequitur Thuanus, a fundamentis omnino diruta est, tanta popularium alacritate, ut paucorum dierum spatium vix ulla vestigia illius extarent; adeo odium propter acceptas inde injurias vicinorum animis alte insederat.

Hist. Eccles. Tom. XXI. N n

Sæcul. XVI

A. C. 1553.

Mezeray l. c.

p. 555.

Daniel l. c.

t. 6. p. 59.

Hedini obsidionem victricia sua arma forent conversuri : hinc Robertus Marcianus Bullionius quantocius eo accurrebat , comitantibus illum Horatio Farnesio , & Honorato Sabaudo Villarix Comite , necnon delecto Nobilitatis flore : sub idem vero tempus hostes , cum integrum vix non mensem diruendæ Teruanæ impendissent , illuc conveniunt , ductore Emanuele Philiberto Sabaudo Pedemontii Principe , qui nondum expleto vigesimo septimo ætatis suæ anno omnes suas copias Hedino admovet , illudque primo statim impetu Gallis eripit , eoquod cives , asportatis secum bonis suis , urbem desererent . Supererat quidem arx ; at illa diu Cæsaris armis resistebat ; quippe hostes eam omni ex parte cingentes continuo tormentis quatiebant , tandemque ruptis cuniculis ferme integram urbem subvertebant , unde obsessi ad incitas redacti deditiois pacta inire rogabant , quod etiam haud cunctanter eis datum : cum vero in eo essent , ut utrinque obsides darentur , Sacerdos in civitate agens , vel ex temeritate , vel imprudentia ignem in quemdam cuniculum injecit , quo Gallorum quamplurimi murorum ruinis sepulti fuerunt , eodemque fato Horatius Farnesius occumbebat , quamvis Scriptorum nonnulli

nulli illum in hac obsidione tormenti Saecul. XVI.
 globo trajectum referant. Hujus Prin- A C. 1553.
 cipis obitus Henricum Galliarum Re-
 gem, eo quod spuriam illius filiam du-
 xisset, multum affligebat, ingenti au-
 tem lætitia afficiebat Cæsarem, qui
 propterea Octavium defuncti fratrem
 deinceps minus Gallis propensum fore
 sperabat, prout re etiam ipsa accidit.

§. XIII.

*Cæsarei Durlentii a Montmorentio
 caesi.*

Capto Hedino Cæsarei castra promo- Belcar. p. 82
 vebant Durlentium usque, quod Thu. l. c.
 oppidum est Atrebato, atque Ambia- Daniel. p. 60.
 no interiacens, cui Carnutensis Vice-
 dominus sese incluserat: Montmoren-
 tius vero Connetabilis cum suis copiis
 Somonam usque procedere iussus ibidem
 Helvetiorum adventum præstolabatur:
 ast cum hostem haud longe abesse cog-
 nosceret, quasdam militum legiones
 trajecto flumine præmittit, ipse vero
 cum quatuor equitum millibus, ac vi-
 ginti peditum vexillis sequitur: Cum
 igitur hostes jam in itinere essent, qua-
 tuor illæ legiones, quæ præmitteban-
 tur, fuerunt interceptæ: itaque San-
 facus, qui sibi adjunctum habebat Car-
 nutensem Vicedominum, cum primus
 N n 2 cum

Sæcul. XVI. cum hoste conflixisset, mox fugam si-
A. G. 1553. mulavit, atque retrocessit ad locum,
 ubi Sanctandreas Marecallus late-
 bat, qui quantocius toto impetu irruit
 in hostes, qui pedem sistere coacti pri-
 mo nutare, ac demum Condæo Prin-
 cipe in transversa hostium latera irrum-
 pente in fugam agi cœperunt, quos
 Condæus strenue insequabatur. Cæsi
 fuere eo prælio plusquam octingenti,
 ex quibus potissimus erat Carolus Spi-
 neus Princeps ex illustri Meloduneri-
 fium Comitum Familia ortus, nec mi-
 nus nonnulli fuere capti, quos inter
 numerabatur Philippus Croyus Arasco-
 tii Dux, qui Lutetiam Parisiorum ab-
 ductus in Vicennarum arce includeba-
 tur, inde vero paulo post unacum Er-
 nesto Mansfeldio, qui nuper in Ivodien-
 si obsidione captus erat, libertatem su-
 ga redemit.

§. XIV.

*Galli Papalmam, ac Cameracum
 invadere irrito conatu ten-
 tantes.*

*Belcar. com. l. 26. n. 34. est
 Thuan. l. c.
 Steid. l. 25.
 pag. 932.* Postmodum Rex, qui in castris erat,
 Papalmam usque, quæ urbs Perro-
 nam inter, & Atrebatum sita est, progres-
 diebatur, eam obsessurus. Hujus ex-
 peditionis curam commisit Colinio, qui
 urbis

urbis situm exploraturus excurrerat, ^{Sæcul. XVI^a}
 cum vero eam adeo sterili, atque ari- ^{A.C. 1553.}
 do solo impositam cerneret, ut abs du-
 bio exercitus aquæ penuria laboraturus
 esset, hinc Rex a suscepto consilio desi-
 stere cogebatur, copiisque Cameracum
 versus ductis hanc regionem invadendi
 opportunitatem quærebat; quocirca
 ab incolis petebat, ut iidem, licet huc-
 usque neutri parti addicti fuissent, Gal-
 lum tamen militem reciperent, eum-
 que annona juvarent, prout erga Cæ-
 sareos fecissent. Ast illi annonam qui-
 dem haud cunctanter pollicebantur,
 Gallorum tamen copias recipere ipsis
 haud liberum esse respondebant, eo quod
 Cæsaris imperio penitus obnoxii forent,
 postquam ille ibidem arcem erexerat.
 Itaque Cameracenses dato hoc responso
 mox in hostium numero a Gallis habe-
 bantur, dieque nona Septembris Con-
 nestabilis copias suas admovens urbem
 cingere coepit; cum autem vana essent
 illius molimina, agros longe, lateque
 devastans, tandem ad Castellum Came-
 racense profugit, hoste vero interea in
 superiore Valentianæ urbis regione ad
 Scaldim castra sua muniente. Rex eo
 cum toto suo exercitu profectus est, ubi
 acri subinde pugna velitatum: cum
 vero res ad decretorium prælium spe-
 ctare videretur, ac insuper Franciæ

Sæcul. XVI. Connestabilis periculose decumberet,
A. C. 1553 (*) Gallorum copiæ ad Sommæ fontem duobus supra Augustam Veromanduorum, quæ hodie S. Quintini oppidum vocatur, milliaribus retrocedere cogebantur, tandem vero die vigesima prima Septembris exercitus omnino dissolvebatur.

§. XV.

Bellum in Italia ob Senenses Cæsarem inter, & Franciam exortum.

Belcar. com.
l. 26 n. 36.
Thu. hist.
l. 12.

Pallav. hist.
Conc. Trid.
l. 13. c. 6. n. 2.

Interea in Italia minime a bello cessatum fuit: cum enim Cæsar ægerrime ferret, quod Senenses ad Gallos defecissent, hinc nihil intentatum relinquere statuit, ut Senenses a Franciæ imperio eriperet: Eapropter unacum quinque peditum millibus, ac quingentis equitibus Marinianum Marchionem, & plusquam trecentos Nobiles milites honorarios in Italiam præmittebat, simulque Toletano Neapolis Proregi præcipiebat, ut duo Hispanorum, ac totidem Itatorum millia pro hoc bello transmitteret. Pariter Gonzagæ Mediolanensis

(*) Addit Thuanus, ex mærore, eoque nullum aliud operæ prælium cum tanto exercitu fecisset.

diolanensium Gubernatori negotium dabit, ut ad eandem expeditionem quatuor peditum millia, & quingentos equites decerneret. Præterea Carolus Imperator datis ad Cosmam Ducem literis vehementer admodum eundem sollicitabat, ut Marinianum Marchionem contra Senenses totis viribus juvaret: Priusquam vero bellum in apertas prorumperet flammæ, Cæsar rem eo deducere nitebatur, ut negotium absque armorum vi componeretur, proposita hac conditione: ut Senensium respublica permaneret libera, atque juxta debiti sui obsequii rationem sese Cæsari subditam, Franciæ Regi vero haud infensam gereret, quin a Cæsare deficeret, aut præsidarios milites, vel arcem teneret.

Sæcul. XVI.
A.C. 1553.

§. XVI.

Senense bellum a Cæsareis, atque Hispanis inchoatum.

Hæc dum interim gerebantur, Neapolis Prorex Cæsaris jussu Franciscum Osorium, ut quatuor Germanorum millia accerseret, in Longobardiam decernit: Ascanio autem Corneo militum delectum in Italia habere præcipit, ipse vero unacum conjuge, liberis suis, aliisque Auriæ triremem conscen-

*Ant. Vera
hist. Caroli
V. p. 275.*

Sæcul. XVI. scendit, ac duobus Hispanorum milli-
A.C. 1553. bus stipatus Liburnum pervenit, relicto
 Neapoli Ludovico filio suo, qui ipso ab-
 sente cum summo imperio præesset. Po-
 stea Prorex Biburno Florentiam contem-
 dit, ubi a Cosma magnum tormento-
 rum numerum cum reliquo belli appa-
 ratu obtinuit, mox autem gravissimo
 morbo correptus die vigesima tertia Fe-
 bruarii e vivis decessit. Hic Neapolis
 Prorex summæ rerum præerat per vi-
 ginti omnino annos, Garziæ vero ejus
 Filio exercitus imperium committeba-
 tur, adjuncto eidem Alexandro Vitellio.

Garzias mox continuato victoria-
 rum cursu Asinam - longam, Lucinia-
 num, pluresque alias urbes Cæsareis
 armis subigebat, suasque copias ei ad-
 jungebat Cosmas Dux, qui tamen,
 cum ob recens erga Mendozam, & Hi-
 spanos odium Senenses nulla ratione
 ad concordiam adduci animadverteret,
 vicina oppida, ac Senensium arces
 prius occupandas, ac præsidario mili-
 te muniendas censuit, ut postea urbem
 arctius cinctam facilius tandem anno-
 næ penuria ad deditonem compellere
 valeret. Ergo præprimis Mons - Uci-
 nus, ubi se Jordanus Ursinus unacum
 Mario Comite S. Floræ, & Camillo
 Martinengo incluserat, obsidetur, at-
 que

que ipso die Paschatis tormenta arci admoventur, cum vero præter expectationem major esset obsessorum repugnantia, hinc nec astus, nec vis a Cæsareis adhibita succedebat.

Sæcul. XVI.
A.C. 1553.

§. XVII.

Papa Viterbium profectus hæc dissidia compositurus.

Porro summus Pontifex, cum de belli adeo vicini exitu sibi vereretur, *Thu. l. 12.*

Cardinalem Perusinum Ascanii Cornei Fratrem Florentiam, Sirmonetam vero Senas decernit, qui rei componendæ viam inirent: cum vero Papa hoc negotium segnius urgeri cerneret, ipse unacum Joanne Manriquez, qui Romæ Cæsarei Legati vices obibat, Viterbium venit, ibidemque easdem, quæ prius offerebantur, condiciones proposuit, in quas Imperatoris Ministri haud ægre consentiebant, eo quod Turcicam classem jamjam in altum euectam esse scirent, copiasque Neapolin necessario reducendas præviderent. Ceterum summus Pontifex huic conciliandæ pacis negotio sese ideo ingerebat, eo quod hanc rempublicam Cæsaris potestati vindicare statuisset, spe fretus, illius inaugurationem Fabiano Balduini Fratris sui Filio ab eodem concessum iri;

N n 5 qua-

Sæcul. XVI
A.C. 1553.

quapropter Senensibus ejusmodi conditionem proposuit, quam ab iis nunquam acceptari probe perspexerat. Porro conditio hæc consistebat in eo, ut quidam Cardinalis reipublicæ Princeps nominaretur, qui ibidem cum mille ducentis præfidiariis permaneret. (*)

§. XVIII.

Conjuratio Senis detecta.

Thu. l. c.

Sub idem tempus Julii Salvii, qui nuper plebis Dux fuerat creatus, consilia detegebantur; hic enim cum quibusdam, qui Franciæ rebus minus favebant, consilia conferre cœpit, atque a Cosmæ Ducis Oratore corruptus, se urbis portam Hispanis traditurum pollicitus est, eidemque sese adjunxerat Hieronymus Pisanus, qui a Ferrariensi Cardinale, & Paulo Thermo ab urbis

(*) Cum Continuator Gallis Senensium imperium fuisse ereptum ægerrime ferret, hinc in doloris lenimen, non modo summo Pontifici conciliatæ pacis gloriam invidere voluit, sed eundem etiam absque ullius Scriptoris allegati testimonio carpere ausus est, perinde ac si duntaxat Nepoti suo hujus Reipublicæ imperium afferere intendisset. Ita hodierno ævo mendaciorum sæcundus est livor in summos Pontifices conceptus.

bis Præfectura exclusus fuerat ; qua-
 propter hanc repulsam indignatus, Sæcul. XVI.
A.C. 1553.
 Æneam Piccolominæum primarium
 Reipublicæ Virum sollicitabat , ut de
 patria in libertatem vindicanda cogita-
 ret , Gallisque resisteret. Attamen
 cunctis hisce consiliis Moreti astu dete-
 ctis Julius Salvius , ejusque Frater O-
 ctavianus , necnon ambo Vinalii Fra-
 tres capiuntur , & de conjuratione con-
 victi extremo mulctantur supplicio : so-
 li tamen parcebatur Piccolominæo, non
 modo habita ratione ad familiæ suæ no-
 bilitatem, sed præcipue ideo fiebat, quod
 licet Gallis parum propensus foret , ab
 Hispanorum tamen rebus alienus cre-
 deretur : Cum igitur Cosmas Cæsareo-
 rum res nutare cerneret , atque aliun-
 de spe sua excidisset , facile in condi-
 tiones a Pontifice propositas, ac antea
 signatas descendebat , Cardinalis ta-
 men Ferrariensis , cujus consensus re-
 quirebatur , cum Montis Ilcini obsidio-
 nem solvi comperisset , Viterbium pro-
 fectus subscribere omnino recusabat. In-
 super Lansacus, qui tum ibidem age-
 bat , coram Pontifice vehementer de
 Cosma querebatur , eo quod consilio,
 pecunia , & milite Cæsareos juvisset,
 atque a nemine læsus contra Franciæ
 Regem in sua ditione tutum eis habitacu-
 lum concessisset. Porro Ferrariensis Car-
 dinalis

Sæcul. XVI. dinalis Flaminium Urfinum ad Regem
A. C. 1553. decernebat, qui eum de Etruria secum
 esse iuberet: hinc Galli Senis ex-
 cedere omnino recusabant.

§. XIX.

*Cæsarei ob Turcicæ classis metum Se-
 nis recedere coacti.*

Belcar. l. 26. **V**erum appropinquante Turcarum
n. 37. classe mox Cæsarei ultro Senis re-
Thu. l. c. cedere, urbemque Gallis impune re-
 linquere adigebantur: quamprimum e-
 nim de proximo Turcarum adventu fa-
 ma insonuerat, Pacecus Cardinalis,
 qui Petro Toletano in Regni Neapoli-
 tani administratione successerat, datis
 literis Garziam urgebat, ut ad tuendam
 Siciliæ, Calabriae, & Apuliæ oram
 quantocius copias reduceret, neque
 incerta Senas occupandi spe certum de
 amittenda Neapoli periculum adiret.
 Ergo Garzias per Papæ ditiones ma-
 gnis itineribus Paceco in opem accurrit,
 Senenses vero, cum Cæsaris copias
 recessisse, ac Montis Ilcini obsidionem
 solutam cernerent, temeritate in pe-
 tulantiam degenerante omnia tentabant,
 ac præprimis a Cosma arrogantius Lu-
 cinianum reddi postulant, idque ad Pon-
 tificis preces obtinent: quinimo mulie-
 res ex insolentia lætitiæ in insaniam ef-
 fusæ

fusæ arma sumunt, ac Nympharum habitum indutæ, necnon cum vexillis per totam urbem cursitantes, Franciæ, ac libertatis nomen inclamant, obstupescente ipso Thermo, qui tum universæ huic Regioni præerat. Biduo post eædem mulieres ductoribus Fortiguerra, Picolominæa, & Livia Fausta tribus primariis Reipublicæ Matronis, unaquæque cum sporta, palis, aliisque terræ fodiendæ idoneis instrumentis prope Archiepiscopi ædes conveniunt, ibidemque invocata Beata Virgine, in cujus patrocinio urbs Senarum est, acceptaque a Cardinale Ferrariensi benedictione ad diurnum muniendæ urbis laborem mira alacritate convolant.

Sæc. XVI.
A C. 1553.

§. XX.

Turcarum classis Corsicæ appulsa.

Interea Turcarum classis jamjam Christianorum oram attigerat, sibiq; adjunctam habebat Regis Christianissimi classem, (*) cui præerat percelebris Polinius, cujus jam supra meminimus sub nomine Baronis de Lagarda, quem etiam Princeps Salernitanus comitabatur, moxque Dragutes Calabria multis damnis afflictæ in Sardiniam seces-

Belcar. com. l. n. 37. Michel Metallo della Guerra di Corsica Philippini hist. de Cors. Justiniani de Venet. Steid. l. 25. sit, p. 915.

(*) Vide supra §. XXII. & XXV.

Sæc. XVI.
A.C. 1553.

fit, ac postremo ad Corsicam appulit; in quam insulam æque, ac in Genue rempublicam, in cujus ditione Corsica est, Galliarum Rex sibi jus arrogabat. Postquam ergo Gallica classis circa initium Junii hoc anno in Sinu Corinthiaco cum Turcica sese conjunxerat, ambæ hostilem in modum in Hvam impetum fecerunt, totamque, qua late patet, insulam misere ferro, flammaque penitus devastarunt, nec his malis contentæ insuper Portum - Ferratum, seu Plombinum præcipuam Florentinæ ditionis arcem occupare tentant, irritolict conatu, eoquod Cosmas illam, utpote rebus suis opportunissimam diligentissime muniri curasset. Demum Thermus, relicto Senis Ferrariensi Cardinale, & ipse classem accesserat unicum Jordano Ursino, ceterisque omnibus Galliarum Regis Ducibus, qui ad bellum Corsicum profecti sunt.

§. XXI.

Bastia, aliæque Corsicæ urbes expeditione facta a Gallis captæ.

Thu. l. 12.
Belcar. l. c.
Sleid. p. 931.
Et 932.

Die vigesima quinta Augusti Galli expeditionem in Insulam Corsicam faciunt, hujusque expeditionis socios habent Sanpetrum Ornanum, aliosque Corsos a Genuensium studiis alienos. Ad-

Advenerat illuc etiam Joannes Bernar- Sæcul. XVI.
 dinus Sanseverinas Somæ Dux cum A C. 1553.
 undecim Italarum signis, eumque Va-
 leronus sex Gallorum vexillorum Dux
 comitabatur. Præmittebatur Somæ
 Dux cum suis, qui Bastiam in littore
 Erruriæ opposito sitam aggredierentur:
 cum vero civium potissimi ad arcem
 confugerent, ac primo deditioem fa-
 cere Regis nomine jussi recusarent, di-
 splosis belli tormentis territi tandem se
 dedere coguntur: appulsa autem reli-
 qua classe Thermus continuo S. Floren-
 tii oppidum, quod prius se Valerono
 dederat, contendit, illudque muniri
 jussit, misitque Sanpetrum Ornanum
 ad oppidum, quod Ajazum vocant,
 Mercatoribus Genuensibus frequens,
 atque opulentum, id vero mox primo
 impetu captum, ac militi Gallo in præ-
 dam concessum est, Corsis etiam Ge-
 nuensium sibi infestorum opes avide di-
 ripientibus.

§. XXII.

*Bonifacium urbs a Turcis simul, &
 a Gallis obsessa.*

Altera ex parte Dragutes cum suis Belcar. l. 26.
 obsidet Bonifacium, quod oppidum Thu. l. 12.
 olim Palla Ptolomæi dictum meridiem
 versus Insulam respicit, portumque ha-
 bet longe opportunissimum unacum ar-
 ce

Sæcul. XVI.

A.C. 1553.

ce a Genuensibus constructa. Urbem ergo ambæ classēs tam Turcica, quam Gallica belli tormentis diutissime verberant: cum autem parum proficerent, amissis jamjam septingentis, aut ferme octingentis tam Gallis, quam Turcis, tandem quidam Tribunus nomine Nasius ex Provincia ortus, quem Thermus Gallorum Bellidux Draguti Turcæ comitem adjunxerat, suorum amicorum quosdam ex obsessis invisendi prætextum obtendebat, hac vero ratione signo dato nonnullos ad se evocabat, eisque tam gravibus verbis proponebat periculum, cui sese pertinaci sua resistentia exponerent, ut vitam, resque suas salvas pacti, deditionem facerent, spe eis a Nasio facta, quod nulla eis vis foret inferenda. Ea res haud parum offendebat Dragutem, qui optimam hujus urbis prædam sibi e faucibus eripi indignabatur, jamque in eo erat, ut interveniente alio eventu tota urbs expilaretur; cum enim præliarii milites urbe exirent, Janissarorum quidam conspicatus militem, qui Sclopetum non minus egregium, quam affabre elaboratum gestabat, illud sibi vindicare, atque e militis manu eripere conatus est, hic vero hanc injuriam minime ferens eodem Sclopeto Janissarum trajecit, ubi pariter alii Turcæ, qui huic

huic opem laturo accurrebant, itidem ^{Sæcul. XVI.} occisi fuere: unde ceteri in rabiem acti ^{A.C. 1553.} veluti canes in miseros urbis præsidarios irruebant, eorumque nonnullos trucidarunt, vixque Nafius ipse, qui de eorum incolumitate suam obfessis fidem obstrinxit, tumultum sedare poterat, nec etiam periculo sese subduxisset, nisi Dragutis opera fuisset ereptus.

§. XXIII.

Urbs deditione facta, Gallis a civibus tradita.

Tumultu tandem sedato Dragutes promissam pecuniarum summam, qua cives urbis deprædationem redimebant, sibi numerari postulabat. Porro cum viginti aureorum millia pendere cives juberentur, hæcque summa populi aliunde pauperis, ac bello plurimum exhausti vires excederet, hinc illam numerando impares erant, unde Dragutes tam infano agitabatur furore, ut damnum reparaturus præter plurima belli tormenta quamplurimos Christianos in captivitatem velut mancipia abstraheret, ac opima præda onustus insuper duodecim Gallos Centuriones secum abduceret, tamdiu illos detenturus, donec ipsi plene satisfactum esset.

Hist. Eccles. Tom. XXI. Oo §. XXIV.

Sæcul. XVI.
A. C. 1553.

§. XXIV.

*Bonifacium post Dragutis recessum
a Cæsareis recuperatum.*

Thuan. l. 12. Postquam Dragutes recesserat, Polinius, seu Baro de Lagardia militum triemibus imposito Calvium contendit arcem obsessurus, qui tamen, cum Augustinus Spinola una cum viginti sex triemibus vix adventaret, mox obsidionem solvere cogebatur, quinimo Thermus quoque ad locum, quem in vicinis montibus muniverat, sese recipere fuit compulsus. Paulo post Andreas Auria, licet ferme octogesimum septimum ætatis suæ annum ageret, ad Genuensium preces summum Reipublicæ imperium acceptabat, ac cum toto exercitu suo Corsicam versus cursum dirigebat: cum autem Mense Novembriam in eunte hyems ingrueret, Corsicæ promontorium secunda navigatione prætervectus, ad Sancti Florentii oppidum, quod Galli valido præsidio servabant, atque propugnaculis munitabant, classem suam appulit, locumque obsidere statuit, ad hujus consilii executionem præprimis animatus quarundam navium adventu, quæ unacum quatuor Hispanorum millibus a Philippo Caroli V. Filio submittebantur. His suppetiis, aliisque a Cosma Florentiæ Duce

Duce submissis Cæsarei præprimis Ba-
 fiam recuperare decernunt, nulloque
 negotio illam expugnant; eoquod non-
 nisi quinquaginta Gallis, qui tamen
 fortiter resistere, munita esset: Inde
 vero totus belli impetus in S. Florentii
 oppidum vertebatur, quod quoque Galli
 anno sequenti post trimestrem obsidio-
 nem victoribus tradidere, potius ex-
 pugnati per constantiam Aurixæ, qui
 nullo neque gravis sui senii, neque affi-
 duo curarum incommodo fractus obsi-
 dionem media hyeme constantissime pro-
 sequebatur.

§. XXV.

*Lis inter Albertum Brandenburgicum,
 atque Episcopos discussa.*

Ineunte hoc anno Robertus Lenoncur-
 tius Cardinalis Metensis Episcopus
 ad suam Diœcesin reversus, magnam
 sibi jurisdictionem vindicabat, instituto
 novo Senatu ex illis ferme civibus, qui
 Gallorum studiis addicti erant: Præ-
 terea Galliarum Rex die ultima Februa-
 rii epistolam ad Imperii Principes, &
 Ordines scriptam evulgabat, qua eo-
 rum animos a Cæsare alienos reddere
 satagebat. (*) Supererat adhuc nego-
 tium

Sæc. XVI.
 A.C. 1553.

Belcar.
 comm. l. 26.
 n. 27.
 Thu. l. c.
 Sleid. p. 912.

O o 2

tium

(*) Thuanus Scriptor natione Gallus hanc
 epistolam, a Rege eo sine scriptam testatur, ut
 Cæsa-

Sæcul. XVI.
A.C. 1553.

tium Alberti Brandenburgici, qui aliquamdiu in Trevirensi ditione hyberna agens in Germaniam revertebatur, ut rursus Episcopos, urbesque infestis armis infectaretur, hanc in rem datis literis Cæsarem interpellabat, ut transactionem cum Episcopis factam tueri velit. Ad hasce literas Carolus Imperator die decima tertia Martii perscripsit, his verbis usus: „*Transactionem illam a me confirmatam non inficio: cum enim Episcopi ad me provocaverint, non potui eis juris beneficium denegare: Itaque e re communi fore mihi videtur, ut rationes ineantur, quibus hoc negotium amice componatur, quod ut facilius, ac majori cum fructu peragatur, mandabo*

Bava-

Cæsarem in odium, ac Germaniæ contemptum adduceret. Hujus autem epistolæ tenorem ex ipso Thuano percipere, haud injucundum erit: scripsit ergo Rex: non amplius a Cæsare metuendum esse, cujus attritæ vires, & multorum annorum artes resectæ sint, ad hæc qui valetudine tam improspere sit, ut precariam animam trahere videatur; se vero eodem, quo semper fuerit, erga imperii Ordines animo futurum, hoc est, amico, & liberali; & licet multi ingentibus beneficiis ab ipso affecti parum sincera fide vicem rependant, non tamen ab officio, & reliquorum amicitia propterea discessurum.

Bavariæ, ac Wirtembergi Ducibus, ut sese interponant: graviter quidem datis ad me literis questi sunt Episcopi, nihilominus confido, eos non repudiaturos concordia pæcta: unice enim studeo Germaniæ tranquillitati. Hanc in rem ambo hi Duces Cæsaris jussu Heidelbergam venere, ubi re diu agitata Episcopi per Herbipolensem Præsulm ingentem pecuniarum vim offerebant, dummodo ipsis quietâ urbium suarum possessio relinquatur, atque arbitri hæcæ conditiones acceptarent.

Sæcul. XVI.
A.C. 1553.

§. XXVI.

Albertus concordiam cum Episcopis inire recusans.

Equidem Mauritius, qui tum pariter *Sleidan.* Heidelbergæ erat, atque inquietum, *p. 913.* turbidumque Alberti ingenium sibi perspectum habebat, Principibus auctor exstitit, ut foedus inirent: verum Albertus ipsemet re infecta discessit, ac paulo post sumptis denuo armis, editoque scripto rationes refellere nitebatur, quas Episcopi ad rescindendam transactionem proferebant: Cum igitur Albertus omnes pacis conditiones rejiceret, Bambergensis, ac Herbipolensis Episcopi rursus a Spirensi Senatu obtinuerunt literas, quibus Moguntino Electori, Palatino, Mauritio, Teu-

Sæcul. XVI
A.C 1553

tonici Ordinis Magistro, Joanni Fridrico, Wittembergico Duci, Hassiæ Landgravio, & Norimbergensibus, omnibusque aliis vicinis injungebatur, ut opem Episcopis ferrent. Intuper ipsemet Mauritius foedus cum Brunsvicensi pepigit auxilia Episcopis pollicitus: verum nimis tarda erant ejus subsidia; quippe Albertus jamiam Episcoporum ditiones ferro, flammaque devastabat, captaque Bambergensi civitate, Franconiae Nobilitati bellum nuntiabat: postmodum vero Schweinfurtum occupat, illudque imposito præsidio munit.

§. XXVII.

Bellum Alberto nuntiatum, præliumque commissum.

Sleidan.
p. 922.
Belcar. l. 26.
num 8
Thur. i. 12.

Tam inhumana Alberti crudelitate permoti Mauritius, ac Brunsvicensis Dux cum Cæsare armorum societatem adversus Albertum inibant, eidemque bellum nuntiabant. Hic, quamvis hostium suorum viribus impar esset, prior tamen copias suas in aciem educit, quinimo aggredientem Mauritium præstolari, aut signa inferenti resistere adeo non sollicitus erat, ut etiam prior illum bello lacefferet, eumque insequeretur; quippe in Saxoniam magna celeritate contendens trajecto Visurgo flumine in Diœcesi Hildesheimensi, ac Lüneburgenfi

genfi ditione castra metatus est, locum Sæcul. XVI.
 sibi feligens valde depressum, silvisque A. C. 1553.
 undique cinctum, ad quem non nisi per
 vallem saxis repletam, viamque longe
 asperrimam aditus patebat. Ex adver-
 so Mauritius castra tenebat in loco emi-
 nenti, atque aperto, cumque prudentia,
 ac circumspeditione præcelleret, op-
 portunam ineundi prælii occasionem
 quiete præstolabatur: verum Albertus
 audacia, quæ omnis periculi contemp-
 tum inconsulte inspirare solet, anima-
 tus Mauritium ad pugnam provocat; ast
 loci iniquitate factum, ut potissima equi-
 tatus sui parte jamjam cæsa totus exer-
 citus funderetur, unde vitæ suæ fuga
 consulere intentus prælii aciem hosti suo
 cedere cogebatur.

§. XXVIII.

*Mauritius parta victoria ex vulnere
 mortuus.*

Nihilominus Mauritius globi istu in
 latere dextero ad ilia accepto tra-
 jectus tertio post die obiit, non sine in-
 genti Cæsaris, atque Imperii luctu; om-
 nes enim Magni Principis, fortissimi Bel-
 liducis, ac magnanimi, rarique exempli
 Herois jacturam dolebant. Porro cum
 nullam prolem vita superstitem relin-
 queret, Augustus ejus Frater eidem in
 Saxonix Electoratu succedebat. Cete-
 rum

Sæcul.XVI.rum in hoc prælio utrinque desiderata
A.C.1553. fuere quatuor millia præter ingentem
 captivorum numerum, nec minus cecide-
 re Henrici Brunsvicensis, ambo Fi-
 lli Carolus, & Philippus, præter Fri-
 dericum Lüneburgicum, necnon Bich-
 lingum Comitem, aliosque quampluri-
 mos primæ Nobilitatis Belliduces. Al-
 tera post pugnam die ad castra perve-
 nerant quingenti equites a Ferdinando
 Rege submissi unacum septingentis aliis,
 quos Hassiæ Landgravius ejus socer sup-
 peditabat: verum sera nimis erant ho-
 rum auxilia.

§. XXIX.

Mauritii exequiæ Fridburgi.

Porro Mauritius ante obitum suum da-
 tis literis Herbipolensem Episco-
 pum de prælii successu certiozem red-
 debat, & postea cum Joanne Albino
 colloquium de animæ suæ statu infi-
 tuens Lutheranorum more Cœnam ac-
 cepit; tandem vero in castris suis die
 undecima Julii circa horam nonam ma-
 tutinam fati functus est, anno ætatis
 suæ nonnisi trigesimo secundo. Condi-
 tuere illius intestina Siverhusiæ, cada-
 ver vero Lipsiam primo delatum in
 D. Thomæ Ecclesia depositum est, ubi
 Joachimus Camerarius die decima no-
 na Augusti orationem in defuncti lau-
 dem

dem habuit, postea autem Mauritii Cor-
 pus Friburgum translatum est, obviam Sæcul. XVI.
A.C. 1553.
 prodeunte toto urbis Senatu, & Agnete
 ejus Conjuge unacum pluribus Nobili-
 bus Matronis: denique die vigesima ter-
 tia Augusti in Beatæ Mariæ Virginis
 ædibus juxta Henrici Patris sui, necnon
 Alberti filii sui tumulum Cadaver ejus
 terræ mandatum fuit, condito insigni
 prorsus monumento: prius tamen Da-
 niel Dresserus Dresdensis Ecclesiæ Pa-
 stor defuncto oratione funebri paren-
 tavit.

§. XXX.

*Augustus Mauritii Frater illius
 Successor.*

Eodem tempore Augustus Mauritii Fra-
 ter unacum Conjuge sua apud Da-
 niæ Regem Socerum suum diversaba-
 tur: cum autem ineunte Mense Augusto
 in Saxoniam rediret, mox omnem po-
 pulum præstita juramenti Religione in
 fidem suam accepit, præcipue vero ad
 id adegit Wirtembergenses, quibus in-
 junxit, ut sibi, suisque liberis mascu-
 lis imposterum obsequium præstarent,
 si vero nulla proles superesset, tunc ad
 Joannem Fridericum, ejusque liberos
 successionis jus devolveretur, ea tamen
 lege, ut tam ipse, quam ejus posteri Cæsari
 obedirent, si tamen id ab illis haud fie-
 ret,

*Belcar. l. 26.
 n. 29.
 Thu. l. 12.
 Sleid. l. 25.
 p. 924.*

Sæcul. XVI.
A.C. 1553.

fieret, tunc præcepit, ut ad Hassiæ Landgravium juxta foederis pacta successio jure hæreditario transfret. Hoc stabilito Augustus tanquam Elector a suis salutatus die vigesima Augusti Ordinum suorum comitia indixit, ubi in deliberationem venerat, qua ratione cum Joanne Friderico transigeretur; hic enim ante Mauritiï obitum Saxonici Electoris insignia sibi arrogabat, atque ejusdem morte vix comperta quantocius in Belgium ad Cæsarem, nec non ad omnes Optimates missis Legatis sua sibi bona restitui postulabat: quinimo Lipsiam quoque, ubi tum comitia agebantur, Legationem decernebat. Ast Augustus pacta cum Carolo V. inita, quibus Joannes Fridericus stare teneretur, opposuit: nec tamen propterea hic a suo postulato destitit; unde post maturam rei discussionem a congregatis Ordinibus ad Augusti petita fuit responsum, e re videri, ut cum utroque pacem coleret, atque ad componendum hoc diffidium Brandenburgico Electori totum negotium committeret: Porro id ipsum effectui datum, hacque ratione Augustus non modo a negotio difficili juxta, ac periculis pleno sese expediebat, sed insuper legitimam nanciscebatur prætextum, quo sese apud Ferdinandum Regem, qui ipsum ad innovandum foedus sollicitabat, excu-

excusaret. Tandem Augustus Alberto Sæcul. XVI.
A.C. 1553.
conciliabatur, operam suam impenden-
tibus Daniæ Regis, qui ejusmodi pa-
cem Generi sui rebus proficuum fore
censebat, necnon Brandenburgici Electro-
ris Oratoribus. Hæc gesta fuere die un-
decima Septembris.

§. XXXI.

*Albertus Spiraë per Cameram Impe-
rialem proscriptus.*

Nec tamen propterea Albertus concili-
tandis tumultibus finem imponebat; Sleidan.
l. 25.
Thu. l. 12.
§ 13.
bellum enim contra Henricum Brun-
vicensem movens ab eo profligatus est,
atque accepta clade ad Brunsvicensem
urbem revertebatur; cum autem per
nuntium accepisset, quod Henricus aut
illum aggredi, aut urbem cingere pa-
raret, inde discessit, collectisque, quot
quot potuit, Equitibus, ut suum ipsius
adventum in Thuringia expectarent, præ-
cepit, quinimo mox ipse eo pervenit,
indeque Franconiam petens, Hoffium
oppidum, ex quo antea ejectus fuerat,
ingressus est. Sub idem tempus Brun-
vicensis pacem cum Friderico Saxonie
Duce inibat, ac militum suppetiis sibi
Norimberga submissis suffultus Schwin-
furtum obsidebat; hoc enim oppidum in
Moeni ripa positum, validoque præsidio
munitum adhuc dum Albertus possidebat.
Rur-

Sæcul XVI Rurſus igitur res ad certaminis neceſſi-
A. C. 1553 tatem pervenerat, infauſto tamen Hen-
 rici ſucceſſu, unde re infecta diſcedere,
 ac in patriam ſuam reverti, Menſeque
 Novembri jamjam ad medium vergente
 bellicæ huic expeditioni finem impo-
 nere cogebatur. Albertus die prima
 Decembris a Cæſareo Spirenſi Senatu
 tanquam publicæ quietis, atque Imperii
 hoſtis conſueto ritu proſcribatur, ejusque
 vita, ac bona omnium prædæ exponebantur.
 Is de ſententia in eum lata certior factus reclamabat, Episcopos
 inſimulans, quod Judices auro corrupiſſent:
 verum falſa ejus accuſatio haud quaquam
 obſtabat, quominus Senatus omnibus
 Imperii Provinciis ſententiæ executionem
 demandaret.

§. XXXII.

*Caroli III. Sabaudicæ Ducis obitus.**Belcar.**comm. l. 26.**n. 26. Paul.**Jov. l. 33.**Thu. l. 2.*

Vix unicus ab Electoris Mauritii obitu
 menſis effluxerat, cum Carolus III.
 cognomento *Bonus* Sabaudicæ Dux Phi-
 lippi, hujusque ſecundæ uxoris Clau-
 dinæ de Broſſia Filius decederet. Hic
 diu, ac operoſe ſceptrum rotabat,
 inimica tamen agitata fortuna; cum
 enim Franciſci I. Nepotis ſui, ac Ca-
 roli V. Soceri ſui diſſidia componere vel-
 let, eique ab alterutriusque ſtudio alie-
 num fovere animum haud concederetur,
 tam

tam ab hoc, quam illo in angustias redigebatur; præprimis enim Galli Anno Christi millesimo quingentesimo trigésimo sexto Taurinum deprædabantur, eorumque ministerio Barbarossa armis suis Anno reparatæ salutis millesimo quingentesimo quadragesimo tertio Niciam immani prorsus furore devastabat, indeque peracto Cherseolensi prælio circa Annum Domini millesimum quingentesimum quadragesimum quartum tota Pedemontii Provincia ingenti terrore concutiebatur; cum ergo Dux totam suam regionem in belli aciem subito conversam cerneret, tanto mœrore afficiebatur, ut lenta tabe confectus Vercellis die decima sexta Augusti mortalitatem exueret, postquam transacto sexagesimo sexto ætatis anno quadragesimum nonum regiminis sui expleverat. Ceterum Princeps erat morum pietate, ac sapientiæ laude insignis, fautorque æquitatis, necnon literarum, atque Eruditorum Mœcenas; licet parum bellicosus, & potius publicis negotiis, quam armis pertractandis aptus esset. Susceperat ex uxore sua Beatrice Lusitani Regis Filia Philibertum Emanuelem, qui die octava Julii Anno post Christum natum millesimo quingentesimo vigésimo octavo publicam lucem aspererat.

§. XXXIII.

Sæc. XVI.
A.C. 1553.

Sæc XVI.
A.C. 1553.

§. XXXIII.

Res in Regio Angliæ Senatu pertractatæ.

*Burnet hist.
Ref. tom. 2
l. 1. p. 327.*

Hujus Ducis mortem uno mense præcesserat Angliæ Regis obitus, ex quo ingentes in regno vicissitudines emergebant, quæ tamen omnes ad Religionis Catholicæ incrementum cedebant; cum enim novus Senatus hoc anno millesimo quingentesimo quinquagesimo tertio ab Eduardo VI. die prima Martii stabilitus conventum haberet, suo Principi maximas pecuniarum summas concedebat, eo quod sub Sommerfeti Ducis administratione ærarium enormiter exhaustum fuisset. Pariter Clerus, ut suo zelo Senatui nequitquam cederet, Regi donum, ut vocant, gratuitum de qualibet omnium reddituum Ecclesiasticorum libra sex solidos colligendi facultatem dederat: his igitur rebus ita concessis Senatus, cum ejus opera haud amplius Aulæ esset necessaria, die trigesima prima Decembris abrogabatur.

§. XXXIV.

Inquisitio in argenteam Ecclesiarum suppellectilem, atque ornamenta per Angliæ Regnum decreta.

Diffoluto hoc Senatu Rex quosdam nominabat, qui per univ[er]sum Regnum

num Ecclesias lustrarent, atque ex ip-
 fuis mandato in omnem argenteam sup-
 pellectilem, ornamenta, aliosque Ec-
 clesiarum thesauros inquirerent, illos-
 que conferrent cum illis rerum indici-
 bus, ac tabulis, quæ in prioribus visi-
 tationibus fuerunt confectæ: insuper ac-
 curate iidem jubebantur describere
 ea, quæ illo abhinc tempore fuissent sub-
 lata: ut autem Ecclesiæ juxta Regis vo-
 luntatem deinceps rebus ad Sacramen-
 torum administrationem necessariis de-
 center essent instructæ, Rex præfa-
 tis Deputatis negotium dabat, ut cui-
 libet Parochiæ, aut alteri Ecclesiæ,
 unum, duos, vel plures, prout neces-
 sarium judicaverint, Calices argenteos
 darent, præter lintea aris substrata, alia-
 que ad recipiendam Sacram Synaxin,
 atque sacras vestes necessaria. Statu-
 tum præterea, ut reliqua, scilicet an-
 tiqua Altarium ornamenta, casulæ, nec-
 non superflua argenti supellex, gem-
 mæque divenderentur, pretiumque inde
 collectum Regiæ Domus Ærario trade-
 retur. Verum hæc agendi ratio a plu-
 ribus vehementer damnabatur; vere-
 bantur enim omnes, ne Rex tum non-
 nisi decimum sextum ætatis suæ annum
 agens Ecclesiarum jura violare attenta-
 ret: illi vero, qui de hoc Principe æ-
 quius sentiebant, eum excusantes di-
 vul-

Sæcul. XVI.

A C. 1553.

Sæcul. XVI. vulgabant, quod adversæ suæ valetu-
A. C. 1553. dinis tempore huic mandato subscripsis-
 set, proin rem maturius per se ipsum
 examinandi facultate fuisset destitutus.

§. XXXV.

*Northumbriæ Dux ad perversa sua
 consilia Regis morbo abusus.*

*Sanderus
 hist. de
 schism.*

Angl. l. 2.

p. 297. vers.

Miaucroix

Burnet l. 1.

p. 337.

Thu. l. 13.

Enimvero Rex jam a Mense Januario
 tam acri humore in pulmones distil-
 lante consummebatur, ut omnia medica-
 menta adeo non morbi vim sedarent,
 ut potius eam augerent: Verum hæc
 ipsa mali obstinatio propinati veneni
 famam in vulgus studiose spargendi op-
 portunitatem offerebat, moxque crimi-
 nis suspicio cadebat in Northumbriæ Du-
 cem, qui tamen has ipsas rerum vicissi-
 tudines dextre in rem suam vertere haud
 prætermittebat, ut tandem præconcep-
 ta consilia in exitum deduceret.

§. XXXVI.

*Tria matrimonia Ducis opera Londini
 eodem die celebrata.*

Sleid. l. 25.

p. 95.

Pallav. l. 13.

cap. 6. n. 4.

Sanderus

l. cap.

Thu. l. 13.

Ceterum Henricus Grajus Dorcestriæ
 Marchio, qui Ducis favore nuper
 Suffolicæ Dux creabatur, habebat tres
 filias, quas susceperat ex Francisca
 Brandonia uxore sua, ac filia Caroli Bran-
 doni, & Mariæ, quæ Henrici VIII.
 foro-

foror & postea Ludovico XII. Galliarum Sæcul. XVI.
 Regi nupta fuit: Cum igitur Northum- A. C. 1553.
 briæ Dux tres hasce Filias, si Henricus
 abs liberis decederet, successionis jure
 in Angliæ regnum proximas fore cen-
 seret, nullamque de Margarita natu ma-
 jori ejusdem Henrici sorore, cum Ja-
 cobo IV. Scotiæ Regi desponsata esset,
 minus vero de ejusdem liberis, eo quod
 exteri, atque extra regnum nati essent,
 ullam rationem esse habendam putaret,
 hinc firmo constituit animo, quod duæ
 Suffolciæ Ducis Filix natu minores po-
 tentissimis Angliæ Proceribus nuptui tra-
 derentur, & natu major quidem nomine
 Joanna Filio suo desponsaretur. Nec huic
 consilio successus defuit; quippe hæ tres
 Filix eodem die Londini connubio jun-
 gebantur, adeo, ut Joanna Graja natu
 major Suffolciæ Ducis Filia Gilfordo Dud-
 læio quarto - genito Nortumbriæ Ducis
 Filio, qui solus nondum uxorem duxe-
 rat, nuberet, eodemque tempore reli-
 quæ duæ ejusdem Joannæ sorores cop-
 ularentur, & quidem secundo genita
 nomine Catharina, Herberto Pembruchii
 Comitis Filio natu majori, Maria vero
 tertio nata cuidam Nobili nomine Keyt.
 Celebrabantur hæ nuptiæ Mense Majo
 ad finem vergente, quo tempore de E-
 duardi Regis salute conclamatum vi-
 debatur.

Hist. Eccles. Tom. XLI. P p §.xxxvii.

Sæcul. XVI.

§. XXXVII.

A.C. 1553.

Judices transferendæ successionis tabulas conficere recusantes.

Cum Maria Eduardi Soror proxima Regni hæres Catholicam fidem profiteretur, juvenis Rex quadam die summo mœrore afficiebatur, ingemiscens, quod Maria ad evertendam spuriam reformationem nulli labori esset parvura, quapropter Northumbriæ Dux hæc temporis opportunitate usus Eduardo exponit, ejus timorem haud alio magis efficaci remedio depelli posse, quam si Maria a successionis jure excluderetur, sceptrumque ad Joannam Grajam Nurum suam transferretur.

Placuit hoc consilium Eduardo ad aliorum arbitrium sese demittere assuetum: eapropter quantocius Montacuto Curiae Præsidi, aliisque duobus Judicibus, & supremo Advocato, & Procuratori præcipit, ut de successione in Joannam transferenda publicas tabulas conficerent. Verum illi percepta Regis voluntate respondebant, quod stabilita succedendi ratio transisset in Regii Senatus legem, quam violare nefas foret: cum autem Rex illis reponeret, quod non nisi hujus translationis formulam ab eis confici postularet, hi deliberandi spatium sibi indulgeri efflagitabant, postquam

quam vero legem primo, quo Eduardus ^{Sæcul. XVI.} regnavit, anno conditam perlegerant, ^{A.C. 1553.} indeque probe cognoverant, quod Regius Senatus perduellionis reos declararet omnes, & singulos, qui successio- nis jura ad alios devolvi procurarent, quapropter hi Judices profitebantur, se absque læsæ Majestatis crimine huic translationi suffragari haud posse. Ea re Northumbriæ Dux gravi ira commo- tus Judices atrocibus injuriis affecit, parumque abfuit, quin eos verberibus exciperet, rursus tamen eosdem die de- cima quinta Junii adesse jussit, cum au- tem omnia, si sine Senatus auctoritate fierent, irrita fore reponerent, Rex asperis verbis respondit, se mox Sena- tores convocaturum, velle tamen, ut ipsi translationis acta conficerent, sic- que omnia ad confirmationem expedita fierent. Equidem hoc Regis mandatum Judices gravi timore percellebat, atque Montacutus præ ceteris primus Regis voluntati cedere statuit, eo quod speciale ab Eduardo mandatum accepisset, vi- cius hoc negotium perficere jubebatur, nec minus ceteri quoque omnes exce- ptis duobus, vel tribus, de transferendo Angliæ sceptro scripturam conficiebant, spe freti, se per Regias literas, quibus suo officio functi declararentur, ab omni metu liberos futuros.

Pp 2 §. XXXVIII.

Sæc. XVI.

A. C. 1553.

§. XXXVIII.

Joanna Graja regni hæres ab Eduardo declarata.

Burnet. l. I.

t. 2. p. 341.

Sanderus

l. 2.

Pallav. l. 13.

c. b.

Itaque Rex testamento caverat, ut Joanna natu major Henrici suffolicæ Ducis Filia Regni hæres esset, ea autem absque liberis decedente, secundo genita subrogaretur. Hæ testamenti tabulæ ab omnibus Judicibus numero viginti quatuor firmatæ ad Cancellarium deferebantur, ut ab eo etiam suo chirographo, ac sigillo munirentur, clam tamen populo res gesta est, ne qua tumultuum occasio daretur. Aberatum Thomas Cranmerus Cantuariensis Archiepiscopus, cum autem magna apud Regem auctoritate valeret, ad aulam accerseretur, ut & ipse hisce tabulis subscriberet, quod quidem primo recusat, certæ, ac legitimæ successionis jura hoc pacto violari, neutiquam æquum esse existimans: cum vero Rex illum ad familiare colloquium admitteret, eique varias rationes proferret, præcipue vero Religionis novæ periculum exponeret, assensum & ipse Cranmerus præbuit. Ergo omnes regii Senatus Patres die vigesima prima Junii hæc acta rata habent.

§. XXXIX.

Northumbricæ Comitis molimina de Maria Henrici VIII. Filia custodiæ danda.

In-

Interea cum adversa Regis valetudo in dies magis, magisque ingravesceret, Northumbriæ Dux, ut de prospero consilii sui successu certior esset, Senatores sollicitabat, ut Mariam Henrici VIII. Filiam rogarent, quatenus Regi graviter decumbenti assisteret, illiusque curam in se susciperet. Verum Dux hoc pacto, ut fertur, hanc Principem custodiæ dare machinabatur, licet ejus consilia per repentinam Eduardi mortem fuissent eversa. Interim Maria, cum Londinum properaret, jamque civitati proxima esset, a suorum Ministrorum quopiam admonita fuerat, Regem cum morte luctari, ipsi vero Londini periculum parari. Hoc nuntio territa cœptum iter deserit, atque ad arcem suam minime munitam, quæ Kennigshalla dicitur, omni celeritate se recipit, ibidemque tamdiu inclusa permansit, donec certior fieret, quod Rex obiisset.

Sæc XVI.
A. C 1553.
Burnet & Sander. l. c.

§. XL.

Eduardi VI. Angliæ Regis obitus.

*Sleid. l. 25. p. 922.
Thu. l. c.
Sand. l. 2. p. 299.
Belcar. comm. l. 26. n. 37.
Pallav. hist. Conc. Frid. l. 13. c. 6.
n. 5.*

Enimvero Eduardus die sexta Julii anno ætatis suæ nonnisi decimo sexto vis eripiebatur, postquam nonnisi septimum a Patris sui obitu annum vitam superstes fuerat. Observabatur a cunctis, quod Eduardus vitam finierit eodem Mense, eodemque prorsus die, quo Hen-



Sæc. XVI.
A.C. 1553.

ricus ejus Pater Thomam Morum summæ integritatis, ac probitatis Virum capite plecti jusserat, ita nempe Deus tanti Viri cædem per regii filii mortem ulcisci voluit. (*) Ceterum hujus Principis exequiæ usque ad octavam Mensis Augusti diem differebantur, ejus tamen Corpus extractis prius intestinis Westmonasterium ad Ecclesiam S. Petri delatum, ibidem feretro ad id speciatim adornato illatum fuit. Postea custodiebatur a duodecim Nobilibus, qui diu, noctuque, absque cereis tamen, ac faculis vigiliis agebant, usquedum solemnities fierent exequiæ. Interea Northumbriæ Dux sese Anglis oppido invifum reddebat, eoquod Regis sui mortem accelerasse crederetur, ipse tamen juxta testamenti a defuncto Rege nuncupati tabulas consilia sua maturare, ac Joannam Grajam Nurum suam in Angliæ Reginam proclamari satagebat.

§. XLI.

* His addit Sanderus l. c. *Huc pertinet, & ad eandem Dei justitiam referri debet, quod nullus plane ex Henrici liberis (quos ille ut multiplicaret, ac posteritati perpetuaret, toties uxores mutare fingebat) sobolem ullam ex se reliquerit, licet omnes juventute florerent, sed steriles transferint sine prole, aut germine, ne Patris tam impii propago, ullas radices ageret.*

§. XLI.

Sæcul. XVI.
A. C. 1553.

*Maria datis ex arce sua ad Senato-
res literis quæstæ.*

Quamprimum Maria Henrici VIII. Fi-
lia Eduardi mortem compererat,
quantocius ex arce sua, ad quam sese
receperat, literas ad Senatores dedit,
hæc significans. „Vehementer miror,
„quod de obitu fratris mei a vobis cer-
„tior factus non fuerim, cum tamen il-
„lum jam ante triduum obiisse aliunde
„intellexerim; vobis tamen legitimum,
„quo ad Regni coronam vocor, succes-
„sionis jus haud incognitum esse potest,
„hinc ex vestra hac socordia satis mani-
„feste comperio, quod sinistra adversus
„me consilia cudatis: nec minus nota
„mihi quoque sunt ea, quæ promisistis,
„ac decrevistis, nihilominus omnia in
„bonam partem vertere, illisque, qui
„meam implorabunt veniam, commissi
„criminis veniam dare parata sum, in-
„terim vobis injungo, ut pro juris mei
„debito me Londini in Angliæ Reginam
„proclamari faciatis.„ Data hac epi-
stola mox Maria Regio-Halla, seu Ken-
nigshalla discedens Framingam Suffol-
ciæ castellum secessit, eo per Norfol-
ciæ Provinciam delata. Porro hunc
sibi recessum selegerat, duabus, iisque
sat gravibus rationibus permota, qua-
rum

Burnet l. c.
p. 356.
Thu. l. 13.
Belcar. n. 38.

Sæcul. XVI
A.C. 1553

rum prima erat, quod Northumbriæ Dux ob pœnarum feveritatem, qua in nupera seditione hujus Provinciæ incolas mulctabat, sese eisdem oppido exorsum reddidisset: altera vero erat hæc, quod hoc castellum, cum mari sat vicinum esset, magnam in Flandriam ad Carolum V. aufugiendi opportunitatem subministraret, si forte ejus rebus minus prosper arrideret successus: Postquam igitur illuc advenerat, mox se Reginam nominari, ac Nordonici proclamari jussit, scripsitque literas encyclicas ad omnes Regni Nobiles, quibus eos hortabatur, ut coronæ ipsi debitæ jura tuerentur.

§. XLII.

*Joanna Graja non sine repugnantia
Sceptrum acceptans.*

Interea Northumbriæ Dux, qui hucusque Regis obitum sollicite celaverat, prodito secreto die octava ejusdem Mensis Julii Eduardum morte sublatum evulgari jussit, ipse vero unacum Suffolciensi Duce promulgabat, quod Joanna Graja in Angliæ Regnum succederet, eoquod Eduardus ante obitum suum id testamento cavisset, eamque Reginam declarasset. Eo tempore Joanna nonnisi decimum sextum ætatis annum agebat, nihilominus, quamvis discretionis vis in

in illa ætate adhuc hebes esse soleat, Sæcul. XVI.
 ipsa tamen annis maturior tam acrem A. C. 1553.
 judicandi virtutem habebat, ut in tene-
 ris hisce annis paucos admodum sibi si-
 miles numeraret; omnium enim Histo-
 ricorum testimonio compertum est, quod
 ingenii sui acie, quam indies assiduo
 literarum studio magis excolebat, ævi
 sui miraculum nominari meruerit. Cal-
 lebat perbene Gallicum, latinum, si-
 mul, & Græcum idioma; nec minus
 interpretabatur etiam mira facilitate Pla-
 tonem Græco sermone conscriptum, om-
 niumque calculo Anglici folii digna cen-
 sebatur, dummodo vel Sanguinis digni-
 tas, vel juris prærogativa eidem adi-
 tum aperuisset, eam tamen viam, per
 quam alii illam ad thronum evehere nite-
 bantur, indolis suæ nobilitate adeo in-
 dignam reputabat, ut non modo illis,
 qui delatæ coronæ nuntium attulerant,
 grates minime deberi censeret, sed et-
 iam hæc suis Parentibus significari præ-
 ciperet: „violato alterius jure solium
 „conscendere recuso; jus ad regni dia-
 „dema soli Mariæ Henrici VIII. Filix
 „competit, ea autem deficiente ad Eli-
 „sabetham devolvitur, cum ergo testa-
 „menti ab Henrico Rege conditi teno-
 „rem mihi optime perspectum habeam,
 „nullatenus ad sceptrum aspirare in-
 „tendo, donec successionis ordo metan-

P p 5

„gat.

Sæcul XVI „gat., His eas omnes addidit rationes, quas sat validas esse censebat, ut impediret, ne invita ad aliorum arbitrium Reginæ personam sustinere cogere-
 tur, ex qua tamen actione nil nisi ludibrium, simulque periculum sibi expectandum præfenserat.

§. LXIII.

Joanna ad Londinensem Turrim delata, & in Reginam salutata.

Sanderus
l. 2. p. 300.
Burnet l. 2.
p. 353.
Sleidan.
l. 25. p. 927.

Tandem Joanna importunis suæ familiaris sollicitationibus expugnata consenserat, ut Londini Angliæ Metropoli, ac in vicinis urbibus in Reginam proclamaretur, hosque honores tam blanda animi gravitate exceperat, ut omnium indicio nil nisi firmiter in Regnum jus eidem deesse videretur. Porro solemni inaugurationi præfigebatur altera dies, quæ erat decima Julii, interea vero clam evocabatur Londinensis Prætor, qui huic solemnitati interesset. Ergo præstituta die cuncta de more observantur, ac præprimis existimata hæc Regina ad Londinensem turrim, ut ibidem juxta regni consuetudinem imperii fasces acciperet, deducitur: ea autem adventante turmatim confluit populus potius rei novitate excitatus, quam gratulantis speciem præferens: Omnium enim animi stupefacti hærebant, dum

dum quamdam foeminam, cujus antea ^{Sæcul. XVI.}
vix memoria erat, Reginam proclamari ^{A.C. 1553.}
audirent, unde illius inaugurationi fer-
me nemo applaudebat.

§. XLIV.

*Senatus datis literis a Maria ad de-
ferendum ipsi obsequium solli-
citus.*

Eadem die allatæ sunt Mariæ Princi- ^{Thu. l. 131}
pis literæ, quæ in Senatu in Lon-
dinensi Turri habito prælegebantur;
ibidem enim Northumbriæ Dux Sena-
tores inclusos tenebat, veritus, ne am-
pliori libertate potiti datam ei fidem vio-
larent, vi cujus præter Joannam nemini
fese suffragaturos pollicebantur. Cete-
rum Maria in præfatis literis hæc ad
Consiliarios perscribebat. „Ad me tan-
quam regni hæredem veniatis volo,
debitumque mihi tanquam Reginæ ob-
sequium præstetis; cum jam ab universa
ferme Anglia veluti legitima vestra Re-
gina agnoscar.“ Perlectis hisce literis
Senatores Joannæ addicti, cum totam
Norfolciæ Provinciam in Mariæ fidem
jurasse, populumque ferme ubique ei-
dem adhærere cernerent, necnon metue-
rent, ne propediem Londini etiam tu-
multus concitarentur, hinc instanti malo
obviaturi nomine Joannæ, tanquam Re-
ginæ quoddam divulgabant diploma, in
quo

Sæc. XVI
A.C. 1553.

ISE J. MTT

quo eam etiam appellabant supremum
Ecclesiæ Anglicanæ, ac Hibernienſis
caput, quem titulum sibi olim Henri-
cus VIII. ac dein Eduardus arrogabant.
Eo in diplomate cuncta ea, quæ ad Ma-
riæ, & Elisabethæ statum pertinent, fu-
lic explicantur, atque inter cetera hæc pro-
feruntur. „Maria ex illegitimo matri-
„monio nata est: Elisabetha autem or-
„tum duxit, ex Matre impudica, quæ
„ob adulterium securi percussa fuit, proin-
„patet, quod neutra, cum Eduardo ul-
„timo regi non germanæ, sed consanqui-
„neæ tantum sorores sint, legibus regni
„ad successionem ipsius admitti possit:
„quamvis Henrici testamento, & edicto,
„quod anno trigesimo quinto regni ejus
„fuerat promulgatum, post Eduardi
„mortem ad successionem vocentur.
Dein exposito jure, quod Joannæ tan-
quam ex Henrici VIII. sorore progenitæ,
ad Angliæ regnum competit, atque
hujus Regiæ voluntatis testimonia pro-
feruntur, ac mandatur omnibus, ut
eam, quam legitimo Principi subditi
debent, fidem Joannæ exhibeant. Id
manu ipsius Joannæ subscriptum, & re-
gni Sigillo firmatum fuit, cum solemniter
hac clausula. *Deus reginam servet.* „Hæc
in urbe & extra urbem a Præconibus
per quinque leucas promulgantur;
nam ulterius illis progredi non licuit,
eoquod

eo quod populus jamjam tumultum ciere inciperet, palamque legitimum jus soli Mariæ competere pronuntiaret.

Sæcul. XVI.

A.C. 1553.

§. XLV.

Senatorum responsum ad Mariæ epistolam.

Postmodum Senatores verbis huic diplomati vix non omnino correspondentibus ad Mariæ literas responsum dabant, hæc significantes: „Joanna „Graja juxta veteres regni leges, ac „Eduardi edicta abs dubio legitima est „Angliæ hæres, cui omnes fidei obsequium integre præstare tenentur: cum „Catharinæ Arragoniæ Matris tuæ matrimonium cum Henrico VIII. per Curie Ecclesiasticæ sententiam, nec non „ad mentem legis divinæ, ac Regni Constitutiones irritum fuerit declaratum, „pluresque Academiæ, ac celebriores „Europæ Universitates ejusdem quoque „fuerint opinionis, ac denique Cantuariensis Archiepiscopi sententia sæpius „ab ipso Regno Senatu confirmata fuerit; unde patet, quod tu minime ex legitimo thoro suscepta sis, nec etiam successionis jure potiri valeas, unde te hortamur, quatenus a prætensis tuis jurebus desistere, nec etiam regnum turbare, velis: si itaque intra debitæ submissionis limites te continebis, nos semper, „
tuis

Sæcul. XVI. **A.C. 1553.** tuis obsequiis addictos experieris, quantum per obedientiæ rationem, quæ Joannæ Reginæ obstricti sumus, licuerit., Subscripsere huic epistolæ ex Consiliariis viginti, & unus, quos interpretari erant Cranmerus Cantuariensis Archiepiscopus, Suffolciæ, & Northamptoniæ Duces, Viacomienfis, & Northamptonianus Marchiones, Arundelius, Sarisberienfis, Huntingtonienfis, Bedfordienfis, & Pembruchius Comites præter quosdam Nobiles, Equites, aliosque. Verum hoc responso parum turbatur Maria, minus vero desisteat de cunctis prospicere, quæ ad tuenda jura sua, atque ad capeffendum Regni solium magis opportuna censebat.

§. XLVI.

Norffolciensis, ac Suffolciensis Provinciae Principi Mariæ adhaerentes.

*Burnet hist.
de la ref. l. 2.
tom. 2.
p. 356.*

Jamiam Maria a Norvicenfibz Regina salutabatur: præterea Norffolciensis ac Suffolciensis Provinciae palam eidem suffragabantur, copiasque subministrabant. Quinimo hac in occasione Suffolcienses suum erga Mariam studium præ cæteris exerebant, quamvis aliunde Protestantium sectæ pertinaciter adhærent. Confluebant etiam ad Framingham castellum Procerum, ac Nobilium quamplurimi, qui eidem sua offerebant oble-

Sæcul. XVI.
A.C. 1553.

obsequia, atque inter ceteros Badoni-
cus, & Saffexiensis Comites, Nobilis
Mordantius, necnon Warthoniensis Co-
mitis Filius præter quosdam alios in Ma-
riæ auxilium milites conscribebant, ho-
rumque exemplum postmodum plures
alii imitabantur. Accepto bellici ap-
paratus nuntio, cujus fama indies ma-
gis, magisque increbuerat, Londini de-
cretum, ut copiæ ad dissipanda Mariæ
agmina colligerentur, moxque Hunting-
toniensis Comes in Buckinghamiensem,
alii vero ad alias ablegantur Provincias,
ut incolas ad arma capeffenda concita-
rent: porro omnes copiæ tam Londi-
num transmissæ, quam ibidem conscri-
ptæ Nieumarkerii in unum agmen col-
ligi jubebantur: Verum Belliducem, qui
hisce copiis præeffet, seligere haud
levis momenti negotium erat; quippe
Northumbrius a Joannæ, quæ adhuc-
dum in Turre agebat, latere discedere
minime audebat, veritus, ne eo absente
Londinenses cives Mariæ adhærerent,
Suffolciæ autem Dux Reginae Pater
huic oneri minime par erat: insuper
haud adeo firmum Joannæ in Senatori-
bus, eorumque fautoribus præsidium
videbatur repositum, quinimo horum
unus, qui a regni secretis erat, jamjam
munus suum exercere recusabat: Ju-
dices vero taciturnitate sua sese suspectos
red-

Sæc. XVI. reddebant. Ministri quoque certo cer-
A.C. 1552. tius a Duce defecissent, nisi eos sub
specioso Reginam comitandi prætextu
veluti captivos in Turri tenuisset.

§. XLVII.
*Copie per Senatum Ductore Nor-
thumbricæ Duce conscriptæ.*

*Sander de
schism. l. 2.
p. 303.
Burnet
p. 357.*

Eapropter Northumbriæ Dux supremum
exercitus imperium ipse in se sus-
cipere cogebatur: rebus igitur in urbe
dispositis passim quosdam conducebat
novæ Sectæ Præcones, qui e suggestu
Suffolciensis Domus jura tuerentur, ac
populo periculum ex Mariæ inaugura-
tione regno imminens exponerent, quos
inter præcipuus erat Ridlæus Londinen-
sis Episcopus. Insuper Schelleio nego-
tium dabatur, ut Cæsarem de Joanna
Graja ad solium evecta certiore redderet:
Verum Imperator hunc Orato-
rem ad colloquium admittere, vel Senatus
literas recipere dedignabatur: Die
decima quarta Julii Dux Londino
profectus a conflente populo eum vi-
dendi percupido festivis acclamationi-
bus, votisque honorabatur, postea vero
cum decem peditum, ac duorum mil-
lium equitum agmine Cantabrigiam us-
que processit, indeque profectus prope
S. Edmundi - Burium castra metatus
est. Verum ejus exercitus, ut spera-
verat

Sæcul. XVI.
A.C. 1553.

verat, adeo non novis militum supplementis in itinere augebatur, ut etiam Indies quamplurimi a signis dilaberentur, atque insuper Haltingus Eques, cui quatuor millia peditum conscribendi cura erat demandata, delectu vix habito quantocius ad Mariæ partes deficeret, atque ad fratrem suum Hungariæ Comitem, ut se coram legitima Regina sisteret, scriberet, mortem, ni pareat, vel a seipso inferendam comminatus. Naves quoque, quas Northumbrius in maris ora eo fine instruat curaverat, ut Mariam forte in Belgium affugientem interciperent, pariter a Joannæ studiis recesserunt. Denique omni ex parte populi legitimæ suæ Principi adhærere coeperant, unde in variis Provinciis tanquam Angliæ Regina solemni ritu proclamabatur.

§. XLVIII.

Consilarii sub prætextu milites conducendi ex turri dilapsi.

Dux ab omnibus ferme derelictus ad Suffolciæ Ducem, qui Londini cum Joanna remanserat, aliosque Consilarios scripsit, sibi que auxilia submitti postulavit. Consilarii, arrepta ex hisce literis occasione, turre exhibant, exponentes, quod ad colligendas petitas hæc suppetias nihil magis conferret, *Hist. Eccles. Tom. XLI.* Q q quam

Sæcul. XVI
A.C. 1553.

quam si cum Londinensi Prætorē res
ageretur, hanc vero in rem Consiliarios
in quadam domo convenire oporteret,
inter ceteras autem proponebant Bem-
bruchii Comitis ædes: porro cum eis
opponi posset, quod eadem facilitate Præ-
tor, ac reliqui Ordinis Senatorii Viri ad-
tūrim vocari possent, hinc subji-
bant, quod eodem tempore cum Clau-
dio Lavallo Boscodelphinio Franciæ Ora-
tore ipsis agendum esset: Itaque Dux
nil mali de eis suspicatus ipsis turre ex-
cedendi, ac in Bembruchii Comitis Pa-
latio conveniendi facultatem concessit.
Hæc gesta fuere die decima nona Julii,
& postea Consiliarii plenam agendi li-
bertatem consecuti proponebant, quod
Mariam pro legitima Regina agnoscere,
atque in ejus gratiam redire, præteri-
tæque culpæ veniam precari vellent.

§. XLIX.

*Senatores in Bembruchii Comitis Pal-
latio congregati Mariam in Re-
ginam proclamare statuunt.*

Ex his præcipuus erat Arondelius Co-
mes, qui inter alia hæc exponebat: „
„Nunquam tempus magis opportunum
„nobis fuit oblatum, quo nos a Nort-
„humbrii Ducis tyrannide liberare pos-
„sumus; nam satis, superque hucusque
„expertus fuimus ipsius arrogantiam, in-
justi-

„justitiam, crudelitatem, summamque
 „illius erga amicos suos perfidiam: præ-
 „terea rebus nostris pessime consulimus,
 „si Joannam in solio suo tuemur, nam
 „ea ratione gravius adhuc nobis impo-
 „nimus jugum, quam antea Dux cer-
 „vicibus nostris injecerat: nullum igi-
 „tur salutis remedium est reliquum, nisi
 „ut Mariam tanquam legitimam decla-
 „remus Reginam: abs dubio etiam po-
 „pulus nostro exemplo animatus eidem
 „adhærebit, nullusque reperietur, qui
 „ultra dubiæ Northumbrii Ducis forti
 sese committere voluerit., Hæc ora-
 tio facile ceterorum animos expugnabat.

Sæcul. XVI.
 A.C. 1553.

Thu. hist.
 l. 13. n. 2.

S. L.

Maria in Angliæ Reginam proclamata.

Mox in eam itum est sententiam,
 ut Maria diplomate promulgato pu-
 blice Regina salutaretur, quinimo jamjam
 de opportunis hoc consilium exequendi
 mediis agebatur, cum quidam hanc pro-
 clamacionem tantisper differendam sug-
 gereret, donec datis ad Principem Ma-
 riam literis omnium nomine præterito-
 rum veniam, atque oblivionem ab ea
 impetrassent. Prævaluit tamen senten-
 tia illorum, qui nulla mora promulga-
 tionem esse faciendam censebant. Ergo
 Prætor, urbisque Consules adeste ju-
 bentur, eisque, quid fuerit decretum,
 significatur, & demum una omnes suo

Burnet l. 2.
 p. 358.
 Thu. l. c.
 Sand. l. 2.
 n. 304.
 Belcar. l. 26.
 n. 38.
 Sleid. l. 25.
 p. 927.

Q q 2 quis-

Sæcul. XVI
A.C. 1553.

quisque ordine procedunt, ut Mariam in præcipua Londinensi platea prope Urbis Prætorium Reginam proclamarent: Inde ad Ecclesiam D. Pauli contententes Hymnum *Te Deum* decantari jubent: mox vero templo egressi Suffolciæ Ducem, ut turrim eorum potestati traderet, compellunt, Joannæ vero nuntiant, ut deposito Reginæ titulo prætensis suis juribus cederet. Postea audito Mariæ nomine univèrsa Londinensis Urbs jubilantium clamoribus resonabat, & populus percepta illius promulgatione in tantos exultantium sonos, festivosque applausus erumpibat, ut Pembruchius Comes demandatum sibi munus ægre perficere posset: insuper continuo pulsatæ ubique campanæ, ignesque passim per urbem accensi. Joanna se e folio cum majori gaudio dejectam cernebat, quam illud ascendendo conceperat.

§. LI.

Northumbriæ Dux unacum liberis suis, aliisque custodiæ datus.

Burnet

p. 359.

Sleidan.

p. 927.

Pallav. l. 13.

c. 6. n. 5.

Belcar. l. c.

Alterâ die Arondelius Comes, & Nobilis Pagetus ad Mariam Reginam, quæ adhucdum Framingæ morabatur, proficiscuntur, eique, quid actum esset, exponunt. Sub idem quoque tempus Senatores datis ad Northumbrium literis præcipiunt, ut decreto subscribat, atque

atque copias dimittat. Præsenferat rem Sæc. XVI.
A.C. 1553.
Northumbrius Dux, unde acceptis nondum Senatus literis jamjam exercitum suum dissolverat, ipseque statim ad amplum urbis Cantabrigiensis forum procedens Mariam Reginam salutari jussit, ac cum ceteris exclamavit: *Vivat Maria Regina*: Ubi vero sese ab omnibus desertum cernebat, paululum animo turbatus videbatur, ac de fuga extra Regnum meditari cœperat: verum milites Prætoriani, qui eum ductore Joanne Gatto sequebantur, ipsum adeunt, occreasque induentem comprehendunt, id se ea ex causa facere obtendentes, ut se illius testimonio a perduellionis crimine tuerentur. Equidem Dux cœpit illis resistere, ac caussari, quod supremus Anglici Equitatus Dux esset, ac proin ob hanc dignitatem manus ei injiciendi nullum ipsis jus foret: nihilominus satellites ipsum etiam reluctantem sequi cogunt: mox vero Arondelius Mariæ jussu illum unacum ejus Filio Hungtintoniæ Comite, necnon Joanne Gatto, & Henrico ejus fratre, Thoma Palmerio, aliisque duobus Ducis Filiis custodiæ dabat.

Cum ergo Northumbrius se Comitis Arondelii potestati traditum cerneret, mox ad illius pedes provolutus ipsius patrocinium implorabat: ast unacum

Q q 3

tribus

Sæcul. XVI.
A.C. 1553.

tribus filiis suis ad Turrim abducitur, ubi per plateas transeuntem populus probris, & convitiis insectatur, eumque paricidam, & innocentissimi Regis carnificem appellitat. Referunt nonnulli, quod quædam mulier Northumbrio, cum per urbem ad carcerem deducendus transfret, sudarium Sommerseti Ducis sanguine tinctum exhibuerit, eique exprobraverit, quod ipse hujus cruoris injuste effusi Auctor exstiterit. Postera die Suffolciæ Dux, Joanna Graja ejus Filia, Ridlæus Londinensis Episcopus, & Joannes Checus, qui defunctum Regem literis imbuebat, capiuntur, præter ceteros omnes, qui Northumbriæ Duci arctiori amicitiae vinculo obstricti erant. Hi una omnes die vigesima septima, & octava Julii carceri mancipantur, tertio autem post die Suffolciæ Dux libertati reddebatur, præstita tamen cautione, quod ad primum Mariæ Reginae mandatum carcerem repetere velit.

§. LII.

*Maria Regina Londinum solemniter
pompa ingressa.*

Thuan. l. c.
Burnet
p. 360.
Sleid. p. 928.

Cum Elisabetha, quæ extra urbem diversabatur, Mariam sororem suam in Reginam fuisse salutatam intelligeret, remque suam agi cerneret, die vigesima nona

nona Julii ultro eidem unacum pluri-
 bus Matronis Nobilibus obviam proces-
 sit, stipata mille ferme Equitibus, qui
 utriusque sororis jura defensuri adsta-
 bant. Adventantem Maria Regina per-
 benigne excepit, ac die prima Aprilis,
 cum duabus ferme leucis ab urbe Lon-
 dinensi confedisset, dimisso magna ex
 parte exercitu die tertia ejusdem Men-
 sis urbem ingressa est, comitantibus eam
 Procerum quamplurimis. Dein Tur-
 rim recta petenti Thomas Howardus,
 Cortinæus, Sommerfeti nuper capite
 plexi Vidua, Cudbertus Tunstallus Du-
 nelhemensis, & Stephanus Gardinerus
 Viacomienfis Episcopi occurrunt, flexis
 genibus Reginæ clementiam exorantes.
 Perorabat horum omnium nomine Via-
 comienfis Episcopus, non sine prospero
 successu; quippe una omnes petita, at-
 que impetrata delicti venia libertati re-
 stituti fuere: quin imo Cortinæus mox
 Devonix Comes a Regina creatus ma-
 gno in honore apud ipsam fuit: Viaco-
 miensis vero Episcopus Cancellarii digni-
 tatem ab eadem consequebatur, quam-
 vis olim divortii sententiæ contra Catha-
 rinam Mariæ Matrem latæ subscripsisset,
 editisque libris Henrici VIII. causam
 propugnasset. Denique Regina, post-
 quam ad septimam usque Augusti diem
 in Turre commorata esset, tandem Ri-

Sæcul. XVI.

A.C. 1553.

Qq 4

cemo-

Sæcul. XVI. cementium ad regium Palatium duabus
 A.C. 1553 leucis ab urbe distitum secundo flumi-
 ne devehitur.

§. LIII.

*Reginæ conatus pro restauranda Re-
 ligione Catholica.*

Cum Regina veram Religionem in suo regno restaurare decrevisset, hinc Cardinalem Polum tanquam Sedis Apostolicæ Legatum accersere statuit, ut ejus opera Angliæ Regnum ad summi Pontificis obsequium revocaretur. Verum Gardinerus Viacomienfis Episcopus, qui Vir summa rerum experientia insignis celebrabatur, huic consilio adversabatur, ratus, spuriam reformationem eodem, quo fuit inventa, prorsus modo, seu gradatim esse evertendam, hancque in rem sufficere censebat, ut præprimis Religio Catholica ad eam, quæ sub Henrici VII. obitu servabatur, normam reduceretur. Hoc consilium Gardineri rebus per commodum erat; verebatur enim, ne Polo in Angliam redeunte ipse Reginæ benevolentia excluderetur, unde ipsius adventum præpediturus datis literis Cæsarem rogabat, ut Reginam hortaretur, ne rem præcipiti nimis consilio urgeret, timendum enim, ne Cardinalis Poli præsentia piis ejusdem conatibus, quos per ipsius operam matu-
 rare

rare intendit, forte obstaculum ponat, Sæcul. XVI.
 eoquod immodico studio Romanæ sedi A. C 1553.
 addictus totum negotium evertere, at-
 que univesum Regnum ex repentino
 ejus adventu facile ad tumultus conci-
 tare posset, cum aliunde Regno proscri-
 ptus fuerit. Nihilominus in irritum ce-
 cidere Gardineri fraudes, brevique Po-
 lus Legati Apostolici dignitate insignis
 in Angliam venerat.

§. LIV.

*Judicii acta contra Northumbriæ Du-
 cem, aliosque instructa.*

Interea Maria primas eo curas intende-
 bat, ut, priusquam Londinum in-
 grederetur, Northumbriæ Ducis causa
 discuteretur, eapropter decima octava
 Mensis Augusti contra eum æque, ac
 contra Northantonæ Ducem, ac Var-
 vicensem Comitem quæstio haberi cæ-
 perat, ipsaque Regina Nortfolciæ
 Ducem judicii adversus hosce tres Prin-
 cipes instituti Præsidem nominabat, eo-
 quod supremus esset urbis Prætor, &
 quamvis Senatus acta in eum instructa
 nondum fuissent revocata, Regina ta-
 men eidem condonati criminis literas
 undecimo post die concesserat: Igitur
 tres hi rei coram Judicibus sistuntur, at-
 que inter ceteros primus Northumbriæ
 Dux sciscitabatur, an ille Vir, qui nil

Thu. l. 15.
 n. 2.
 Burnet
 p 346. 63
 365,
 Sleid. l. 25.
 p. 928.

Q q 5 nisi

Sæc. XVI.
A.C. 1553.

nisi juxta Senatus decretum, ac Regii sigilli auctoritatem aggressus est, jure tanquam perduellis ad mortem damnari possit? insuper quærebat, utrum illi, qui ejusdem cum eo facinoris conscii sunt, imo pro illius executione mandata dederunt, judices tamen esse valeant? Ad hæc post brevem deliberationem responsum, quod usurpata supremi Sigilli auctoritas nulla sit, minus vero hi, qui in illa confidunt, a læsa Majestatis poena propterea immunes esse valeant: de cetero autem ex præsentibus Judicibus nullus sit, qui de eodem crimine accusatus, vel damnatus fuerit, & solus popularis rumor, aut levis accusatio obstare haud possit, quominus illi Judicium officio fungi valeant.

Cum ergo Dux utrumque suæ defensionis argumentum penitus eversum cerneret, haud ultra facinus suum excusare sollicitus crimen fatebatur, solum Reginæ clementiam implorans, cujus quoque exemplum sequebantur Northantonæ Marchio, & Varvicensis Comes. Hi omnes tres, a Judicibus tanquam perduellionis rei declarantur, ac postera die, Joannes Gattus, ejusque Frater, Andreas Dulejus, & Thomas Palmerius omnes quatuor Equestris Ordinis Viri pariter mortis sententiam exceperunt. Ex septem autem hisce reis

Curia

Curia nonnisi tres, scilicet Ducem, Joannem Gattum, & Thomam Palmerium capitali pœna plecti voluit: Igitur Vigorniensis Episcopus (*) Ducem accedere, ejusque animam ad extremam cum morte luctam disponere jubetur, apud quem etiam Dux suas noxas expiabat, palam professus, quod nunquam aliam, quam Romanæ Ecclesiæ fidem in animo suo coluisset. Postea Northantoniæ Comes interrogatus declarabat, quod nullum tumultus tempore publicum munus exercuerit, sed venationibus semper intentus hisce regni turbis minime sese ingesserit. Hoc audito Varvicensis Comes natu major Ducis Filius ingenti animi constantia extremi supplicii sententiam excepit, unice petens, ut omne æs suum alienum solveretur. Demum illis ad Turrim rediitis altera die Andreas Dulejus, Joannes Gattus Prætorianorum Præfectus, & Henricus ejus frater, necnon Joannes Palmerius ad mortem fuere damnati.

§. LV.

Dux ad supplicium ductus, ac capite plexus.

Sleid. l. 25.

Hos inter primus Northumbriæ Dux capitali sententia damnatus die viginti

p. 929.

Thu. l. 6.

Burnet.

p. 365.

Belcar. l. 26.

v. 38.

(*) Is erat Nicolaus Heath, qui postea Eboracensis Archiepiscopus fuit renunciatus.

Sæcul. XVI
A. C. 1553.

gesima secunda Augusti ad supplicii locum educebatur, cum biduo antea sacro solemniter celebrato in carcere Divino epulo fuisset refectus. Referunt Scriptores, quod in ferali pegmate constitutus cunctos adstantes hortatus fuerit, ut priscam Majorum religionem amplecterentur, rejecta nuper invecata doctrina; cum hæc malorum omnium, quæ triginta abhinc annis passi essent, causa extitisset: inprimis vero novæ religionis concionatores, utpote seditionum buccinas, regno ejicerent, si innocentes se coram Deo, & salvam rempublicam vellent: Ego quidem, addebat Dux, non aliam, quam Majorum religionem semper in corde colui, ejusque rei testem appello Vigorniensem Episcopum summum amicum meum, sed ambitione obcæcatus, temporis cedens fidem meam occultavi: aliter me id poenitet & ex animo tædet: proinde sponte mortem, quam me commeruisse agnosco, libentissime subeo.

His dictis cum pia adstantium suffragia, precesque exoraret, statim carnifex venia prius ab eo petita, eidem caput amputavit. Ceterum quamvis insimulatus fuisset, quod Regi venenum propinasset, in mortis tamen sententia ejus rei nulla facta est mentio. Eadem poena postmodum Joannes Gattus, & Pal-

Palmerius sunt affecti, reliqui vero in Sæcul. XVI.
 carceribus asservati, & eorum aliqui A.C. 1553.
 extremo etiam supplicio mulctati, alii
 denique, atque inter eos Henricus Gat-
 tus & Andreas Dudlejus biduo post e
 custodia dimissi sunt.

§. LVI.

*Episcopi Catholici suis sedibus re-
 stituti.*

Sub idem tempus omnes Episcopi, qui Burnet
 regnante Eduardo suis sedibus spo- p. 376.
 liabantur, rursus per Deputatos, quos Acta publ.
 Regina ad examinandas exauctoratio- Tom. XV.
 nis causas nominaverat, suis Ecclesiis p. 334. &
 fuere restituti. Hos inter Bonnerus, Sanderus
 Gardinerus, Tonstallus, Heathus, & p. 306.
 Dayus quinque hæreticis Episcopis in
 eorum Sedes intrusis subrogabantur, ac
 Bonnero Londinensis, Gardinero Via-
 comiensis, Tonstallo Dunhelmensis,
 Heatho Vigorniensis, & Dajo Glocest-
 riensis Episcopatus cesserat, & quidem
 pro Bonnero diploma die vigesima se-
 cunda Augusti expediebatur. Major oc-
 currebat difficultas circa Tonstallum,
 eoquod Dunhelmensis ejus Episcopatus
 per Senatus Regii decretum fuisset sup-
 pressus, atque Ecclesiæ prædia Nortum-
 briæ Duci dono data: cum autem præ-
 fato Duce ad mortem damnato eadem
 hæc prædia Regio ærario fuissent attri-
 buta.

Sæcul. XVI
A.C. 1553.

buta, hinc Regina mox ea restituit, recensque hunc Episcopatum erexit, in publicis suis literis allegans, quod hæc bona duntaxat fuissent suppressa per importunitatem quorundam impiorum, qui ex spoliis hujus Ecclesiæ ditescere cupiebant. Præterea hæreticorum Præcones ad populum dicere prohibebantur, & Gardinerus, qui regni Cancellarius nominabatur, Mariæ Reginæ jussu prædicandi facultatem regio sigillo munitam illis concedebat Theologis, quos prudentia, scientia, ac solertia claros, atque ad annuntiandum Dei Verbum idoneos judicabat: porro cum nonnulli Protestantium spreto hoc mandato palam e suggestu declamare præsumerent, comprehensi carceribus includebantur, nec minus Senatus Coverdalem Exoniæ, & Hooperum Glocestriæ Episcopos comparere jubebat, cum ergo illi die vigesima nona, & trigesima Augusti advenirent, horum postremus custodiæ dabatur, alter vero absque Senatus venia domo sua exire prohibitus fuit. Hac igitur ratione sensim Religio Catholica reflorescere cœperat.

§. LVII.

*Defuncti Regis Eduardi exequiæ
Westmonasterii celebratæ.*

Regina

Regina pro defuncto Rege Eduardo Sæcul. XVI.
 exequias die octava Augusti in tur- A.C 1553.
 ri ritu Romano-Catholico celebrari vo-
 luit, ac præterea, cum eadem die
 Eduardi Corpus Westmonasterium de-
 ferretur, atque ibidem funebria justa
 die duodecima ejusdem Mensis pera-
 genda indicerentur, Senatus tum quo-
 que eosdem ritus Catholicos observari
 præcepit. Obluctabatur tamen vehe-
 menter Cranmerus Cantuariensis Archi-
 episcopus, caussatus, quod Eduardus
 novam Reformationem summo labore
 invexisset, novaque liturgia regii Sena-
 tus auctoritate fuisset stabilita. Præva-
 luit quoque ejus sententia, imo & ip-
 sus funebri hujus obsequii solemnia
 peragebat, illisque, qui Cœnam sumere
 cupiebant, eam porrigebat. Aderant
 hisce exequiis Viacomienfis Marchio
 supremus regii thesauri Præfectus, nec-
 non Saresberienfis, & Pembruchianus
 Comites, omnes lugubrem habitum in-
 duti: Dajus vero Cicestrienfis Episcopus,
 qui proxime Sedi suæ restituendus erat,
 seligebatur, ut oratione funebri Eduar-
 do parentaret, quem etiam plurimum
 deprædicans illum, quantum valuit, ex-
 cusabat, totamque culpam in Ministro-
 rum ambitionem rejiciens eos tanquam
 omnium corruptelarum, quæ hucusque
 fuerant investæ, Auctores redarguebat,
 tan-

Sæcul. XVI tandem vero in amplas Reginæ laudes
 A. C. 1553. excurrens populo quietos, ac prospere-
 ros vitæ dies pollicebatur.

§. LVIII.

*Reginæ declaratio in favorem Reli-
 gionis Catholicæ.*

Cum Regina in Senatu declarasset,
 quod neminem ad amplectendam
 fidem Catholicam cogere vellet, hinc
 non deerant Protestantium nonnulli,
 qui sibi perperam persuadebant, quod
 suam hæresin profitendi libertas ipsis
 concederetur: alii vero magis providi
 haud temere suspicabantur, quod sibi
 hanc indulgentiam minime polliceri pos-
 sent: porro, quod sua eos opinio haud
 fefellerit, sat manifestum fiebat ex de-
 claratione, vi cujus Regina die decima
 octava Augusti ita palam profitebatur:
 „Eandem teneo fidem, in qua ab incu-
 „nabulis fui enutrita, atque in ea usque
 „ad extremum vitæ meæ halitum per-
 „sistere cupio: Vehementer autem ex-
 „opto, ut eandem quoque Religionem
 „in spiritu charitatis omnes mei subditi
 „profiteantur: de cetero ut meam am-
 „plectantur fidem, neminem cogere in-
 „tendo, donec omnia per Senatus au-
 „toritatem communi consensu fuerint
 „stabilita Interea vero vobis præcipio,
 „ut nullos suscitatis tumultus, sed potius
 in

in pace, timore Dei, ac mutua chari-
tate vivatis, sedulo devitantes invisa,
nomina *Papistarum*, atque *Hæreticorum*.
His addebat, si qui illicitos conven-
tus habere fuerint deprehensi, eorum
Authores severe castigari curabo, præ-
terea absque nostra venia sermones
feri, Sacros Codices explicari, lib-
ros typis edi, aut ludos theatrales ex-
hiberi prohibeo. Insuper mens mea
haud alia est, quam ut nullus ex iis,
qui nuperæ rebellionis participes erant,
absque nostro mandato ea ex causa
puniat, nec tamen propterea in reos
inquiri erit prohibitum: tandem ser-
monem suum his verbis absolvit.
Equidem nonnisi invita ad exercendam
legum severitatem compellor, si ta-
men quidam seditiosa cudent consilia,
illos ad pœnam trahere firmum, fi-
xumque est, spero tamen, quod mei
subditi me ad tam acerbas animad-
versiones non sint compulsuri.

§. LIX.

Petrus Martyr ex Anglia profugus. Sleid. l. 25.

Ex hac declaratione Hæretici haud ob-
scure intelligebant, quod Regina
adulterinam reformationem Senatus
auctoritate abrogare statuerit, unde
quantocius eorum plures, præcipue
vero exteri, qui magno numero in Ang-
lia

Sæcul. XVI.
A.C. 1553.

p. 930.
Thuan. l. 13.
Burnet. l. 2.
tom. 2. p. 327.
Sander. l. 2.
p. 2. p. 311.

Hist. Eccles. Tom. XLI. R r

Sæcul. XVI. A.C. 1553. liam regnante Eduardo irrepserant, Regno excedere decreverunt. Hos inter præcipuus erat Petrus Martyr, qui Oxoniæ Theologiam tradens, a suis sectatoribus maximi habitus, Catholicis vero summopere exosus erat, hinc confestim post Regis obitum ædibus suis excedere, nihilque exinde asportare jubebatur. Hoc mandato Petrus haud parum turbabatur, datisque ad Amicos suos literis periculum, cui expositus erat, significabat, fidem publicam sibi datam violari questus, cumque a defuncto Rege in Angliam vocatus esset, illius memoriæ injuriam fieri agebat. His Petri querelis ejus Amici multum concitati omnia sus, deque vertere nitentur, tandemque Oxonia excedendi libertatem extorquebant. Hac facultate Petrus opportune usus Londinum venit, ubi Cranmeri Cantuariensis Archiepiscopi quondam sui Discipuli, ac unici Patroni præsidium implorabat, cum autem hic Præsul auctoritate, qua apud Eduardum valebat, excidisset, atque aliunde de fidei suæ integritate admodum suspectus esset, hinc nonnisi infirmo fulcro ejus patrocinium innitebatur. Equidem incertus rumor spargebatur, quod Cranmerus de Sectæ suæ veritate dubitare inciperet, ac circa Religionem Aulæ sententiam sequi vellet, quinimo

se errores suos solemniter abjuraturum Sæcul. XVI
A.C. 1553.
 Reginæ promississet, nihilominus fama ad eum delata Cranmerus literis die quinta Septembris datis palam declarabat, quod decreta per Eduardi Senatuum condita, utpote Dei Verbo, atque Apostolorum doctrinæ consona tueri paratus esset. Hujus etiam Præsulis pertinaciam Petrus Martyr egregie firmabat, unde cognitis hisce literis Cranmerus comparere jubetur, seque earum Auctorem extitisse fatetur, nihilominus tunc præter omnium expectationem liber dimittitur: Diu autem in Senatu deliberabatur, quid cum Petro Martyre agendum esset, quinimo, ut referunt nonnulli, nil propius esse videbatur, quam quod rogi supplicio calamitates, quibus Regnum ac Religionem oppresserat, eluere cogeretur, cum tamen fidei publicæ eidem datæ ratio haberetur, unacum suis affeclis absque ulla pœna regno ejiciebatur. Sub idem Burnet
p. 375.
Sander
p. 310.
 tempus quidam Professor Polonus, nomine Joannes Lascki, seu a Lasco pariter ex Anglia excefferat, nec minus illi quoque, qui hos sequebantur, opportunum adhuc fugæ tempus sibi seligebant; quippe paulo post ad omnes Regni portus mandata expediebantur, vi quorum nullus sub Gallorum nomine exire permittebatur, nisi a Franciæ Legato

Sæcul. XVI. gato scriptam emigrandi potestatem ob-
 A.C 1553 tinuisset.

§. LX.

*Regina Londinum ingressa,
 ibidemque coronata.*

Burnet
p. 377.
Sleid.
p. 930.
L. 116. l. 6.

Postmodum Regina die ultima Septembris e turri egressa Westmonasterium rediit, ibidemque facta quorundam dierum mora die sequenti solemnem pro more ingressum in urbem celebrare, ac regni insignia accipere parabat, & idipsum die prima Octobris solemnem pompam effectui dedit. Comitabantur eam plusquam quingenti ex præcipuis Regni Proceribus, quos inter duo erant, qui Normanniæ, atque Aquitanniæ Ducum vires agebant, eoquod Angliæ Reges in utramque Provinciam jus sibi vendicent. Paulo post Regina Londinum venit, Elisabetha sorore sua, & Anna Cliviensi Henrici VIII. conjuge, sed ab eo mox repudiata, necnon ingenti illustrium Matronarum turba, & exterorum Principum Oratoribus stipata. Porro ipsa erat, palleo purpureo amicta, cujus longum, ac sinuosum syrma a cubiculariorum Principe, & Norfolkici Ducis uxore sustinebatur: dexteram ejus sustentabat Dunhelmensis Episcopus, & sinistram Sarisberiensis Comes, quos sequebantur Nobiles Matronæ, demum vero longa ferie

serie juxta dignitatum suarum ordinem Sæcul. XVI. A.C. 1553.
 incedebant Duces, Marchiones, Comites, ceterique Regni Proceres. Tandem Maria Regina ad quoddam theatrum in Templo magnifice exstructum a Viacomicensi Episcopo deducebatur.

§. LXI.

*Regina a Viacomienſi Episcopo
 inaugurata.*

Peractis hiſce ſolemniis Viacomienſis Burnet l. c. Belcar. l. 26. n. 38.
 Episcopus Cancellarii munere functus diu Mariam populo ostendebat, eamque legitimam esse Reginam proclamans ab adstantibus ſciſcitabatur, utrum illam pro vera Regni hærede agnoscerent: assentientibus igitur confuso vocum sono omnibus, ac fausta quæque precantibus Regina ad Altare descendens, ibidem præſtito ſolemni ſacramento humi prostrata a Gardinero Viacomienſi Episcopo, aliisque decem Præſulibus mitras in capite, pedumque in manu geſtantibus ſacro uncta est oleo, adhibitis omnibus aliis ritibus, quos ante spuriam reformationem adhibendi conſuetudo ferebat. Postea Dajus Ciceſtriensis Episcopus, qui inter celeberrimos ævi ſui Præcones numerabatur, ac propterea forte in Eduardi exequiis ad habendam funebrem orationem ſeligebatur, etiam ſolemni hac die ſermonem habuit, quo

R r 3

abſo-

Sæcul. XVI. absoluto Regina tribus coronis successi-
A. C. 1553 sive impositis, postremam duntaxat in
 capite retinuit, & decantato Hymno
Ambrosiano thronum rursus conscendit:
 Gardinerus vero diploma recitabat, vi-
 cius Regina plenam omnibus præteri-
 torum veniam indulfit, ac tandem præ-
 stitis eidem de more obsequiis, reque
 divina peracta eodem ordine, ac pompa
 Regina ad Palatium suum rediit.

§. LXII.

*Hisce solemnibus adstantes convivio a
 Regina excepti.*

Thuan.
 l. 13. n. 2.

Solemni ingressu, ac coronatione per-
 acta, Regina omnes illos, qui huic
 ritui assistebant, sumptuoso exceperat con-
 vivio, cunctisque mensæ adfidentibus,
 quidam nobilis Anglus nomine Mockus,
 cujus familiæ honorarii Angliæ Regum
 Equitis dignitas hæreditario jure pro-
 pria erat, equo vectus, armatusque au-
 lam, in qua convivium celebrabatur, in-
 gressus est, ac per facialem prius intro-
 missum declarabat, quod Mariam pro-
 vera, & legitima Regni hærede agno-
 sceret, si quis vero adeo temerarius esset,
 ut sese opponere auderet, cum eo se
 duello decernere paratus foret, atque
 in provocationis signum chirotheca in
 aerem projecta trinis vicibus mensas per
 aulam dispositas circumibat, ac demum
 ante

ante Reginam subsistens eam salutabat, Sæcul. XVI. A.C. 1553.
 quæ etiam accepto aureo poculo Equiti propinavit, illudque eidem dono dedit, quod ipse hasta protinus abjecta accepit, indeque recessit. Hic ritus priscis temporibus, cum Angliæ Reges inaugurarentur, religiose servabatur. Ceterum Regina absoluto prandio aliquamdiu cum Principum Legatis conferebat, postea vero sese in cubiculum recipiebat: Illi autem, qui Reginæ colloquio fruebantur, erant Cæsaris, Ferdinandi Romanorum Regis, Maximiliani Regis Bohemiæ Legati, necnon Reipublicæ Venetæ, & Cosmæ Florentiæ Ducis Oratores.

Porro tertia post die quarta Octobris diploma promulgatum, vi cuius Regina suis subditis subsidiarias pecunias, quas Senatus nuper Eduardo Regi ejus fratri pro solvendo ære alieno concesserat, remittebat, qua etiam liberalitate proximi Senatus benevolentiam sibi conciliare satagebat, cum hosce Senatores ad Religionem Catholicam in regnum revocandam inducere decrevisset.

§. LXIII.

Senatus a Regina convocatus.

Igitur Regina novum Senatum ad diem Burnet l. 2. p. 378.
 decimam Octobris indicit, priusquam Sanderus p. 306.
 vero is congregaretur, Eboracensis Archie-

R r 4

chie-

Sæcul. XVI.
A.C. 1553

chiepiscopus ad turrin captivus abducitur, Joannes vero Wesejus ad Exoniensem Episcopatum, quem regnante Henrico, ejusque Filio abdicaverat, jussu Reginæ revocabatur. Porro in prima Sessione, quæ eadem die decima Octobris celebrabatur, nulla de Religione occurrebat mentio: cum autem speciali decreto condita fuisset lex *de convictis*, seu statutum, vi cujus quidam de quodam crimine convicti censentur, ac propterea sub Henrici VIII. Regimine Exoniensis Marchionissa extremo supplicio fuerat sublata, hinc Regina hanc legem revocari voluit, ac Devonix Comitem defunctæ Filium pristinis honoribus restitui jussit. His ita peractis proximæ Sessiones a die vigesima prima usque ad vigesimam quartam Octobris prorogabantur, præpripis vero Regina præcipiebat, ut rein initium daretur per decreta satis moderata, nec ullo pacto articulatim negotia pertractarentur, nisi primum in proximis Sessionibus, in quibus præterita discuterentur, & futuris provide per remedia sat opportuna consuleretur.

§. LXIV.

Henrici VIII. divortium tanquam nullum, ejusque Matrimonium cum Catharina declaratum ut validum.

Porro

Porro in secunda Sessione die vigesi-^{Sæcul. XVI.}
 ma prima Octobris celebrata, Se-^{A.C. 1553.}
 natus sententiam divortii inter Henri-
 cum VIII. & Catharinam Arragoniam *Sanderus*
 declarabat tanquam irritam, huic po-^{p. 334.}
 tissimum rationi subnixus, quod eorum ^{& 335.}
 connubium nullatenus legi Divinæ fue-^{Pallav. hist.}
 rit adversum, nec etiam licitum ea, quæ ^{Conc. Trid.}
 Deus conjunxit, per homines separare;
 animi autem anxietates, quibus Hen-
 ricus se torqueri simulabat, a Viris per-
 versis fuerint suggestæ, eorumque sen-
 tentiis nonnisi quarumdam Universita-
 tum auro corruptarum decisiones suffra-
 gatæ fuissent, solusque Cranmerus te-
 merario ausu hoc matrimonium nullum
 declarare attentaverit, prædictarum Uni-
 versitatum judicio, falsisque conjecturis
 innixus, seque præ ceteris omnibus
 Doctoribus magis celebrem damnanda
 prorsus jactantia ostentaverit. His ra-
 tionibus freti Senatores divortii senten-
 tiam omnino irritam pronuntiabant,
 cunctaque decreta, quibus ea confirma-
 batur, revocabant. Hoc Senatus edi-
 cto, quo Maria justis natalibus redde-
 batur, Elisabetha rursus ex adulterino
 thoro suscepta declarabatur, quapro-
 pter Regina eandem haud amplius spe-
 ciali benevolentia dignabatur.

Sæcul. XVI.

A.C. 1553.

§. LXV.

*Eduardi leges abolitæ, ac Religio
Catholica revocata.*

Postquam Senatus in Sessione trigesimo primo Octobris die habita rursus fuerat prorogatus, superior Curia inferiori scriptum communicabat decretum, juxta quod leges ab Eduardo circa Religionem conditæ abolerentur, eademque evolutis sex diebus *Communis*, ut vocant, Curia unacum approbatione remittebat. Hoc decreto erat cautum, ut elapso die vigesimo Decembris quævis recens introducta divini officii norma abrogaretur: excepta illa, quæ Henrici VIII. regimine ad finem vergente usurpabatur, usque ad hanc vero diem promiscue tam novis, quam veteribus officiis uti concedebatur. Insuper communis Curia ad Proceres normam trans mittebat cujusdam legis contra eos, qui quemdam Ecclesiasticum injuriis afficerent, eademque lex adversus eos extendebatur, qui Eucharistiæ Sacramentum profanare, Altaria evertere, Crucifixi imagines destruere, vel cruces demoliri præsumpserint. Ejusdem quoque Curia Patres legem condi petebant adversus eos, qui debito tempore, ac modo Divino officio assistere, aut Sacramentum recipere recusaverint. Verum
supe-

superior Curia huic legi sese opponebat, verita, ne populus ad tumultum concitaretur, si uno, eodemque tempore tot, tamque severæ leges promulgarentur, unde duntaxat nuperi Regiminis decretum innovabat, vi cujus prohibitum, ne duodecim, aut plures in unum coetum coirent, eo fine, ut Religionem auctoritate publica stabilitam immutarent, quapropter hujus statuti transgressores criminis, ut vocant, felonix rei, proin mortis supplicio obnoxii declarabantur. In eadem Sessione revocabatur decretum sub Henrico VIII. editum contra Norfolix Ducem, quod illud contra requisita legum præscripta fuisset conditum. Pariter Reginaldus Polus suis dignitatibus restituebatur, cum antea læsæ Majestatis reus pronuntiaretur, ac propterea juxta regni leges ad hæreditatem adeundam, aut testamentum nuncupandum inhabilis esset: Regina igitur iniquam hanc sententiam revocabat latam contra hunc Cardinalem, qui exilio mulctatus, ac perduellionis reus antea declaratus erat: brevi vero tanquam Sedis Apostolicæ Legatus in Angliam postea redierat.

Sæcul. XVI
A.C 1553.

Sanderus
l. 2. de
schism.
p. 307.

§. LXVI.

*Joanna Graja, Cranmerus, alique
mulctati.*

Equi-

Sæcul XVI.
A. C. 1553.

*Burnet hist.
de la Reform.
l. 2. tom. 2.
p. 386.*

Equidem Cranmerus eo tempore, quo
Reginæ diploma promulgabatur,
jamjam carceri fuerat mancipatus, nunc
vero ad Turrim quoque abduceba-
tur, eo quod læsæ Majestatis reus se-
ditiosos etiam libellos divulgasset: por-
ro pridie, quam Cranmerus compre-
hendebatur, Hugo quoque Latimerus,
qui sub Henrico VIII. Vigorniensem
Episcopatum usurpaverat, Turri inclu-
debatur. Tertia demum die Novembris
Senatu habito idem Cranmerus, Joan-
na Graja, Dudlejus ejus Maritus, at-
que duo ejusdem fratres, necnon Nor-
thumbrii Ducis Filii una omnes coram
Judicibus comparere jussi sua scelera fa-
tebantur, ac Reginæ clementiam im-
plorabant, & præprimis Cranmerus Ar-
chiepiscopus suos judices memores esse
voluit, quod nonnisi cum summa re-
pugnantia, ut Maria a successionis jure
excluderetur, consensisset, imo tunc
primum suo quoque suffragio accessisset,
postquam Senatus hanc exclusionem fir-
maverat. Verum insuper habitis hisce
rationibus una omnes tanquam perduel-
lionis rei declarabantur, eo quod adver-
sus legitimam Reginam arma sumere,
eique aliam subrogare attentassent. Por-
ro etsi Cranmerus vi hujus sententiæ ad
quodcunque Beneficium ineptus decla-
raretur, nihilominus Cantuariensis Ar-
chie-

chiepiscopatus ob quasdam, easque po-
liticas rationes nondum vacare cense-
batur, sed duntaxat reditus sequestro
committebantur: Cranmerus vero in
carcere detinebatur, donec magis op-
portunum adspiraret tempus, quo ejus
scelera mortis supplicio plecti possent.
Ceterum in reliquos haud ulterius in-
quirebatur.

Sæc. XVI.
A.C. 1553.

§. LXVII.

*Cardinalis Poli sollicitudo circa re-
staurandam in Anglia Religionem.*

His interea in Senatu gestis, ac Mense
Novembri dimissis Senatoribus Car-
dinalis Polus in Margazzano, seu in Ma-
gusæo Monasterio, quod in Veronnenfi
territorio prope Benacum, seu lacum
Gardanum erat situm, sacro otio vacabat,
ibidemque de Maria ad Angliæ solium
evecta nuntium accipiebat, cumque no-
vam hanc Reginam Religioni Catho-
licæ addictissimam nosset, quantocius
ad Julium III. Papam familiarem suum,
qui erat Vincentius Perpalia Nobilis
Pedemontanus atque S. Salvatoris Ab-
bas, ablegabat, datisque literis Papam
hortabatur, ut hoc negotium Deo com-
mendaret, ipseque omnem suam pro
felici successu auctoritatem, operamque
impenderet.

Pallav. Hist.
Conc. Trid.
l. 13. c. 7.
num. 1.

§. LXVIII.

Sæc. XVI.

A.C. 1553.

§. LXVIII.

*Polus a Papa Legatus in Angliam
destinatus.*

*Pallav. l. c.
Burnet
p. 387.*

Hanc in rem Polus summo Pontifici auctor exstitit, ut per ambos Legatos suos, quorum unus in Belgio apud Cæsarem, alter vero in Francia apud Henricum II. agebat, rem sedulo aggrederetur, eo fine, ut eorum sollicitatione hi duo Monarchæ ad tam sanctum propositum auxilia præberent, missisque nuntiis Reginam animarent ad promovendam Catholicam Religionem, ad cujus restaurationem aliunde Reginam jam satis propensam novissent. Offerebat quoque suam operam Polus, quantum ad hujus negotii executionem Papa necessarium fore censuerit. Placere Julio hæ Cardinalis rationes, cumque præter ipsum Polum ad hoc opus aggrediendum, & feliciter expediendum neminem magis aptum cognosceret, hinc die quinta Augusti eundem Legatum in Angliam decrevit, accedente omnium Cardinalium consensu, quibus satis perspecta erant Poli merita, ac præclaræ animi dotes.

§. LXIX.

*Commendonus a Dandino Legato in
Angliam missus.*

Acce-

Acceptis hisce Julii III. literis Polus eundem Abbatem Sancti Salvatoris ad Papam ablegabat, ut eidem significaret, quod quidem hac Legatione haud cunctanter perfungi vellet, fatius autem fore censeret, ut priusquam Pontificis auctoritas discrimini exponeretur, per quemdam privatum Anglorum animi explorarentur. Hanc in rem Polus seligebat Henicum Penningum familiarem suum, quem die duodecima Augusti Bruxellas ad Dandinum Cardinalem in Cæsaris aula Legatum decernebat, dato negotio, ut inde in Angliam profectus cum Bonvisio ejus Procuratore rem ita aggrediretur, ut ad Mariæ Reginæ alloquium admitteretur. Verum Dandinus perpensa rei gravitate, ac difficultate necessarium fore existimabat, ut Vir quidam ablegaretur Penningo magis spectabilis, qui cum majori dexteritate, ac pompa hoc negotium perficere posset. Inter ceteros, quos secum Dandinus in Belgium adduxerat, tum aderat quidam Venetus nomine Joannes Franciscus Commendonus, equidem juvenis, agendi tamen dexteritate, ac ingenii acie percelebris, qui summo Pontifici a cubiculis, solo meritum suffragio postea ad Cardinalium dignitatem evectus fuit. Hic anno Domini millesimo quingentesimo quinquagesimo

Sæcul. XVI.
A.C. 1553.

Pallav. l. c.
Tr. u. p. l. 13.
num. 3.
Ant. Maria
Gratiani in
vita Com-
mend. l. I.

Sæcul. XVI.
A.C. 1553.

gesimo Romam profectus a Venetæ Reipublicæ Legato ad Julium III. Papam deducebatur, qui perspecta hujus Viri indole eundem suis cubiculariis adnumerabat, cum vero extra Romanæ urbis mœnia suburbanum recessum ad delitias aptum exstrui, ibidemque fontem, ubi Nympha quædam aquas per rivulos in hortum diffluentes in concha colligebat, erigi curaret, ac concinna quædam carmina componi, fontisque marmoribus insculpi desideraret, Commendonus quædam epigrammata huic operi perbene adaptata, atque a Papa summopere dilaudata composuerat, hinc in Vaticano comparere jubetur, ubi Julius per plures quæstiones explorata Commendoni sapientia, atque ingenii præstantia ad circumstantes dixit: „tam „rara sunt hujus juvenis merita, ut illum ab occasione obsequia sua Ecclesiæ præstandi remove nefas foret, „nam eum tam præclaris dotibus insignitum agnosco, ut brevi majora carminibus præstiturus sit. Mox Papa eundem primo Urbinatem, & postea in Flandriam decernebat, ut Hieronymum Dandinum Legatum comitaretur, a quo etiam in Angliam mittebatur cum Regina collaturus.

§. LXX.

Sæcul. XVI.
A. C. 1553.*Commendoni discessus in Angliam.**Pallav. l. 13.
cap. 7. n. 3.*

Ceterum Dandinus nullo speciali mandato Commendonum instruebat, sed ei media, quæ pro temporis, rerumque vicissitudine magis opportuna censebit, arripiendi libertatem relinquebat, cum multa tum forte occurrentia prævideri haud potuerint; præcipue vero eidem religiosam commendabat taciturnitatem, ac præcipiebat, ut nemini rem communicaret præter Venetæ Reipublicæ Oratorem, ad quem tum Londini agentem ejusdem Reipublicæ Legatus, qui in Cæsaris aula morabatur, commendatitias transmiserat literas. Igitur Commendonus solus Bruxellis proficiscitur, sui que discessus ratione nulli manifestata Gravellinam pervenit, inde vero conscensa navi in Angliam contendit, ubi conductis duobus famulis tam regionis, quam linguæ gnaris itineris sui causam esse simulabat, quædam debita nonnihil implicita, quæ pro se exigere a Patruo suo Mercatore Londini demortuo jussus fuisset. Itaque a nemine cognitus mutato proprio nomine Londinum pervenit, eo ferme tempore, quo Regina non ita pridem hanc Metropolin fuerat ingressa. Verum brevi experiri cogeatur violentias hære-

Hist. Eccles. Tom. XLI. S s tico-

sæcul. XVI
A.C. 1553

ticorum, qui Londini adhucdum præ-
valebant, atque Reginam veluti obli-
dione cinctam tenebant, ac sub obse-
quiosæ custodiæ prætextu cuique extero
aditum ad ipsam prohibebant, & stu-
diose omnem semper Religionis muta-
tionem præpedire satagebant, veriti,
ne Ecclesiarum bona inique usurpata
reddere cogerentur; insuper hosce hæ-
reticos admodum sollicitos tenebat ma-
trimonium Reginæ suæ, quam a Cæsare
Philippo de Hispania Filio suo despon-
sandam suspicabantur.

§. LXXI.

*Privatim cum Regina conferendi op-
portunitas Commendono oblata.*

Pallav. l. n. 4. Inter hosce tumultus Commendonus op-
portune offendebat Joannem Leeum
nobilem Anglum religione Catholicum,
qui regnante Eduardo, ut in fide ortho-
doxa persistere posset, ultroneo sese exi-
lio multabat, atque in Italiam profu-
giens arctam ibidem amicitiam cum
Commendono contraxerat: sub primis
vero novi Regiminis auspiciis inde in
Angliam reversus erat: Igitur Commen-
donus hujus Viri opera sibi aditum ad
Reginam parare tentabat, nec tamen
statim eidem itineris sui causam mani-
festabat, sed plurima ex eo de Aulæ
statu, ac præsentis rerum vicissitudine
seiscie-

Sæc. XVI.
A.C. 1553.

sciscitabatur, tandem vero dum satis Religionis, ac fidelitatis ejus sinceritatem explorasset, eidem arcanum patefecerat, causamque sui in Angliam adventus aperuit. Placuit Leo Commendoni propositum, ipseque propitiam Religioni oppressæ subveniendi, indeque vera patriæ suæ obsequia præstandi occasionem non sine animi sui jubilo sibi gratulabatur, quapropter amicum suum ad Reginam adduxit, quæ etiam illum privato colloquio dignabatur. Cum ergo Commendonus Reginam pro restauranda Religione summe propensam, ac sincero prorsus animo affectam experiretur, nullum non movebat lapidem, ut ulterius Reginam in pio hoc studio fovaret, hanc in rem frequentis cum ea colloquii opportunitate usus: præcipue vero Regina eidem sedulo rem tegendam commendabat, ne feditio in regno excitaretur.

Bournet
p. 386.

§. LXXII.

Commendonus datis ad Papam literis a Regina remissus.

Cum Commendonus itineri proximus esset, Regina eidem epistolam ad Julium III. Papam tradidit, in qua quod semper filialem obedientiam erga Sedem Apostolicam sit professura, pollicebatur, universum vero regnum suum

Sander
part. 2.
p. 315.
Thu. l. c.
Pallav. ibid.

Ss 2

a schis-

Sæc. XVI. a schismatis culpa, ac poena liberari
 A.C. 1553. efflagitabat, simulque promittebat, quod
 rebus publicis integre compositis, se-
 datisque tumultibus per Legatos obse-
 quium suum præstare velit. Insuper Com-
 mendono injunxit, ut summo Pontifici
 significaret, quod vehementer optaret,
 ut Cardinalis Polus, tanquam Sedis Apo-
 stolicæ Legatus in Angliam decerneretur,
 clam tamen id fieret, ne secreto præ-
 mature divulgato pia utriusque consilia
 suo frustrentur successu. Præterea ipsa-
 met epistolam ad hunc Cardinalem scri-
 pserat, eandemque unacum literis ad
 Pontificem directis Commendono tradi-
 dit. Hic ergo utraque epistola muni-
 tus exeunte mense Augusto Londino di-
 scessit, paululumque Bruxellis subsistens,
 veredariis equis Romam contendit, bre-
 vem admodum moram in itinere agens,
 ubi Cardinali Polo epistolam a Regina,
 ut creditur, eidem traditam consignabat.

§. LXXIII.

Cardinalis Poli epistola ad Reginam.

Sanderus
 p. 316.
Thu. l. 13.
 num. 3.
Ciacon. in
vit. Pontif.
 tom. 3.
 p. 630. &
 seq.

Cum idem Cardinalis Reginam ad pium
 hoc propositum jam antea animasset,
 die decima tertia ejusdem Mensis Au-
 gusti literas gratulationis, ac solatii
 plenas ex solitudinis suæ loco ad ean-
 dem perscripsit, atque dilaudato illius
 studio erga veram religionem his verbis
 illam

illam hortabatur: *Mea erga Deum, & Sæcul. XVI.*
suam Ecclesiam, ac erga Majestatem tuam A.C. 1553.
 pietas me cogit unum in hoc Regni tui
 initio tibi in memoriam revocare, quod
 est, ut cum ita singulare beneficium a
 Deo acceperis, diligenter consideres, e
 quibus radicibus perturbationes rerum ad
 justitiam, & ad veræ Religionis cultum
 pertinentium, pullularint: quippe cum
 illæ indies in isto regno cum tanta ruina
 succreverint tam publica, quam privata,
 quanta non ignoratur: Atque si hoc ita
 feceris, percipies profecto principium, &
 causam omnium malorum tunc pullulasse,
 cum perpetuus humani generis adversarius,
 Patri tuo persuasit impurum consilium,
 ut divortium fieret Matris tuæ optimæ
 Reginae, atque illi magnæ in Deum, in
 ipsam, in te, in seipsum injuriæ, majus
 additum & scelus, quod a Matre divor-
 tium fecit omnium Christianorum, a
 sancta Catholica obedientia, & ab Apo-
 stolica reverentia. Ex hoc iniquo, &
 impio semine tot pestiferi fructus nati
 sunt, ut ita regnum ubique corruerint,
 ut nullum neque justitiæ, neque veræ Re-
 ligionis vestigium apparuerit: relegatæ
 enim sunt ambæ, quando reverentia, &
 obedientia Ecclesiæ ejecta fuit; neque
 prius sunt reditura, quam divina obe-
 dientia in animum recepta sit eorum, qui
 rebus præfuerint. Hoc facile tua Ma-

Sæcul. XVI
 A C. 1553. *jestas mihi servo suo potest credere, qui
 plurima, & ista, & Majestatis vestra
 causa passus sum, neque ullam defendenda
 causæ tuæ rationem prætermisi, ubi ali-
 quod extaret remedium, quo te tuis mo-
 lestiis sublevarem, quod si mei labores
 eum finem consecuti non sunt, quem sem-
 per desideravi, sapius vel vitam ipsam
 periculis exponens; certe nunc ea de re
 multo magis lætor, quam si ipse adiutor
 fuissim, cum apertissime cognoverim di-
 vine providentiæ in Majestatem tuam
 propensam voluntatem, nam profecto no-
 luit Deus illa humana te manu adjuvari,
 neque Pontificis, neque Cæsaris, neque
 ullius Principis, quamvis nunquam cessa-
 verit Pontifex Cæsarem ad opem ferendam
 cohortari, neque mea defuit diligentia
 utrisque ad hoc pium opus sollicitandis;
 sed divinitus res protracta est, donec sta-
 tutum tempus a Deo adventavit, quo di-
 vine manu sublevareris: interim usus est
 Deus eadem ratione, qua erga charissim-
 mos, & dilectissimos uti consuevit, quos
 nutrit, & educat in omni calamitatum,
 ærumnarumque genere, ut gratiæ sua
 semen altiores radices in corde tuo possit
 extendere, meliusque floreat, ac nobi-
 liores fructus producat, cum visum fue-
 rit in pristinam felicitatem revocari.
 Istud nunc omnes boni expectant, atque
 ego in primis, cui major occasio con-
 cessa*

cessi est dotes animi, quæ divinitus tibi concessæ sunt, a tenevis cognoscendi. Ea res me multo etiam magis impellit, ut Majestati tuæ id significem de re tanta, quanta est Ecclesiæ obedientia, me magis etiam sollicitum esse, quam antea, quæ mente sis erga Religionem, & quo pacto affecta: nam cum circiter trecenta millia passuum distem ab Urbe Roma, nuper ad me de rebus Britannicis est delatum, & per literas summi Pontificis certior factus sum, te ad summum imperium esse provectam, & electus Legatus a Sancta Sede Apostolica ad Majestatem tuam, & ad Cæsarem, & ad Galliarum Regem, ut tibi gratularer pro victoria Dei, in hac causâ ipsius Dei, sed quia, quanti res sit, intelligo, censui, non inutile fore, si Majestatis tuæ mentem, quo pacto Deus eam moverit, prius percunctatus fuero, cujus causâ præsentem nuntium cum meis literis mitto, neque istud quidem fit, quia de optima voluntate tua subdubitem, quoniam te semper gratam erga Deum fuisse cognovi, & acceptorum non immemorem, legumque divinarum observantissimam, inter quas obedientia Apostolicæ Sedis continetur, cui maxime omnium favere debes, nam certe quidem Majestatis tuæ Pater nulla alia de causâ Apostolicam obedientiam reliquit, nisi quia nollet Pontifex Romanus causæ tuæ

Sæcul. XVI. favens, turpi, & iniquo ejus desiderio
A.C. 1553. assentiri, sed quoniam tot annos tanta
 facta est mutatio, tantaque malitia con-
 nata est evellere ex animis hominum, pe-
 nitusque restinguere hanc ipsam obedien-
 tiam, & observantiam, mihi visum est
 non absurdum fore, si ex te ipsa percun-
 ctaver, quod tempus, aut quæ ratio aptior,
 commodiorque videretur ad ipsius Vicarii
 Christi legatione perfungendum, idque
 ad istius regni beneficium, & consolatio-
 nem: cujus felicitas, & quies semper magis
 oppressa fuit, ex quo Sancta obedien-
 tia expugnari cæpta est, coactaque solum
 vertere: decrevi igitur prius responsum
 expectare; quod ut expectationi meæ opti-
 me respondeat, ab omnipotente Deo sup-
 pliciter peto, omniumque piorum spei,
 quam habent de Majestate tua conceptam,
 idque ad confirmationem, & incremen-
 tum felicitatis tuæ, & istius regni, quod
 si mihi benignam audientiam concesseris,
 spero futurum, Dei optimi maximi bene-
 ficio, ut intelligas in hac ipsa obedientia
 Ecclesiæ consistere, & collocatum esse
 fundamentum, & stabilimentum omnium
 bonorum ipsius regni. Sic igitur rogam
 omnipotentem Deum, ut pro sua infinita
 misericordia Majestatem tuam fortunet
 in ipso imperio, in quo collocavit, summa
 scribendi faciam. Datum e Cænobio Me-
 gazeni Benaci die decima tertia Augusti
 Anno

Anno Domini millesimo quingentesimo Sæcul. XVI.
 quinquagesimo tertio. A.C. 1553.

§. LXXIV.

*Reginæ responsum ad Cardinalem
 Polum.*

Ignoratur equidem, an Regina hæc Ciaccon.
 literas ante Commendonum discessum p. 630.
 jamjam acceperit, vel potius per illam Sander. l. c.
 epistolam, quam Polo deferendam Com-
 mendono tradiderat, ad ejusdem literas
 responderit. Id omnino certum est,
 quod Regina in eandem cum Cardinale
 sententiam abierit, eique ingens desi-
 derium adventus ejus, & firmum regni
 sui ad avitam fidem, & Romanæ Ec-
 clesiæ obedientiam revocandi studium
 significaverit: insuper ab ipso petebat,
 ut humillimum suum obsequium Pon-
 tifici offerat, & vicissim ab eadem in-
 dulgentiam sibi, & benedictionem ef-
 flagitet.

Præterea eundem rogabat, quate-
 nus iter acceleraret, eo quod nunquam
 a Ministro magis digno & idoneo, nec
 non per idem Religionis studium, at-
 que aliis sibi titulis juncto majus præsi-
 dium expectare posset, eumque hanc
 in rem a Patris sui furore fuisse præser-
 vatum scribebat, ut pium hoc opus
 ejus ministerio omni expectatione fe-
 licius ad exitum deduceret.

Ss 5

§. LXXV.

Sæcul. XVI.

A.C. 1553.

§. LXXV.

*Roma ob Commendonum adventum
exultans.**Pallav. l. 13.
c. 7. n. 5.
Ciacon. t. 3.
p. 630.*

Postquam Commendonus Romam per-
venerat, pluribus propensum Ma-
riæ studium apud summum Pontificem
commendabat, literisque, quas secum
deferebat, tanquam legitimo testimo-
nio sua dicta confirmabat: Accepto igi-
tur nuntio, quod Anglia rursus in Se-
dis Apostolicæ obsequium sit reversura,
Sacrum Purpuratorum Collegium in-
genti afficiebatur gaudio, ac per integ-
rum triduum festiva, & publica lætitiæ
signa edebantur, atque ipse summus
Pontifex re divina solemniter celebra-
ta plures noxarum condonationes
distribuebat: cum autem Regina Poli
discessum urgeret, Cardinales eundem,
tanquam Angliæ Legatum nominari
consensere, priusquam vero ex Italia
discederet, Virum, quem a secretis ha-
buit, nomine Antonium Floribellum ad
Cæsarem ablegabat, qui eidem Ami-
tinæ suæ ad Angliæ solium evertæ fe-
licitatem gratularetur, illique propi-
tiam exponeret occasionem, qua immo-
tum suum studium exerere, ac Religio-
nem Catholicam in hoc Regno tueri
posset. Insuper idem Cæsari significare
jubebatur, quod Polus a summo Ponti-
fice

fice in Angliæ Legatum fuisset nomina- Sæcul. XVI.
 tus. Porro cum Cardinalis probe probe A. C. 1553.
 spiceret, quod Cæsar hanc legationem
 fors sibi minus gratam haberet, hinc
 Floribellum, quid hanc in rem respon-
 deret, accurate instruxit, eidem injun-
 gens: ut Carolo Imperatori gravibus
 omnino rationibus exponeret, ex Ang-
 lorum agendi ratione, ac summo, quo
 Mariæ Regium diadema deferre festi-
 nassent, studio satis aperte præfagien-
 dum, quod facili negotio hoc Regnum
 ad revocandam Religionem Catholicam
 induci possit, cum ipsis haud incogni-
 tum esset, quod eorum Regina huic fi-
 dei esset addictissima, ac proinde omnino
 decentiæ leges peterent, ut intra hoc
 regnum aliquis Senatui proxime con-
 vocando præsens adesset, qui Sedis
 Apostolicæ jura defenderet; si vero huic
 spei prosper abluderet successus, pluri-
 mum tamen expediret, ut Polus sese
 itineri accingeret, atque in Regni fini-
 bus consisteret, si forte tardior illius
 adventus magis Religionis augmento
 conducere credatur. Pariter Polus ab-
 legabat Michaellem Trochmortonum,
 qui Cæsari exponenda communicaret,
 ut desuper opportuna caperentur
 consilia.

§. LXXVI.

Sæcul XVI.

A. C. 1552.

§. LXXVI.

*Cæsar Cardinalis discessui in Angliam nonnihil oblectatus.**Pallav. l. 13.
c. 7. n. 6.*

Septimo post die Commendonus ad Polum ablegabatur eundem de omnibus Romæ agitatis certior redditurus. Verum Cardinalis illum unacum literis ad Papam deferendis remittebat, ut hac in re omnem moram esse præpediendam significaret. Sub idem tempus die septima Septembris, ac rursus decima quarta ejusdem Mensis Vincentius Papalia ad Polum revertebatur, referens, quod Pontifex aut permanendi, aut discedendi copiam ejus prudentiæ penitus relinquat, simul tamen Vincentius eidem tria tradidit diplomata, quorum primum Cæsari, alterum Henrico II. ac tertium denique Mariæ Angliæ Reginae erat inscriptum, eodemque tempore Papa ei plenam sua potestate utendi facultatem concessit, quantum exigeret salus populi, ad quem missus erat. (*)

§. LXXVII.

* An in toto hoc §. vel verbum continetur, ex quo (prout tamen illius summi seu titulus præfert) colligi possit, quod Carolus Imperator sese Poli discessui opposuisse videretur, judicio Lectoris relinquimus.

§. LXXVII.

Sæc. XVI.
A. C. 1553.*Caroli V. rationes Philippum Filium
suum Reginae Angliæ de-
sponsandi.*

Interea Commendonus Polo Cardinali Dandini Legati nomine significabat, quod ipsius Legationem differri Cæsar peroptaret, siue eoquod turbidus esset Angliæ status, ac Pontificii Legati adventu tumultus excitari posset, siue inde obstaculum nasci valeret nuptiis, quas Carolus V. inter Philippum filium suum, & Reginam conciliare meditabatur, etsi Maria vix non trigessimum octavum, Philippus vero vigesimum sextum ætatis suæ annum expleset: Verum rationes, quæ Carolum Cæsarem ad hæc nuptias tam sollicitè urgendas incitaverint, intellectu assequi haud difficile erat; quippe Imperii, Hispaniæ, & Angliæ vires conjungere moliebatur aduersus Franciam, cum prosperis Henrici II. armis invideret. (*)

Infu-

* Hanc in rem Continuator allegat Pallavinum, qui tamen loc. cit. hæc duntaxat scribit: *Carolus ratus forsitan est, ætatem suam gravem, suamque tenuem valetudinem, neque consentaneam, neque optabilem novellæ sponsæ futuram.* Hæc ille, quid ergo juvat citare

Aucto-

Sæcul. XVI
A.C. 1553. Insuper haud ignotum erat Cæsari, quod Cardinalis Polus ejusmodi connubio haud faveret, eo quod illud ipsum Cæsari, cum sese exinde novis implicaret turbis, sat molestum, parum vero congruum censeret Mariæ Reginae, quæ, ut putabat Cardinalis, hoc vinculo suorum subditorum animos a se alienaret, cum eorum non pauci ejusmodi conjugium minime approbarent. Aliunde Carolus V. suspicabatur, quod ipsemet Polus has nuptias ambiret, quamvis hæc suspicio infirmæ admodum rationi ininiti videretur, cum eo tempore Polus jamjam sacro Diaconatus ordine esset initiatus. Hisce rationibus permotus Cæsar, e re sua fore existimabat, ut Cardinalis Legationem impediret.

§. LXXVIII.

Auctores, illos vero minime sequi? Ergone ad invidiam Augustissimæ Domui Austriacæ acerfendam pro scribentis arbitrio quædam fingere licet? unde ex historiæ testimoniis comprobatur, tam prosperos fuisse armorum successus, ut invictissimus Cæsar invidia ductus nuptiarum subsidio tria regna conjungere fuerit molitus? quorsum vero ejusmodi commenta tendant, ex Viri hujus genio jam sæpius manifestato sat aperte elucet.

§. LXXVIII.

Sæcul XVI.

A. C. 1553.

Cardinalis Poli tanquam Legati discensus in Angliam.

Nihilominus Cardinalis Polus novo Legationis diplomate a Papa accepto in Italiam profectus est, priusquam vero discederet, datis literis Cæsarem reddebat certiore non modo de suo discessu, sed potissimum de negotio ipsi demandato, quo pacem Franciam inter, & Hispaniam conciliare jubebatur. Porro Polus, postquam Tridentum venerat, Penningi literas Londino allatas accepit, quibus eidem significatum, quod cum Regina clam collocutus, eandem in ea animi propensione expertus fuerit, ut Poli Cardinalis adventum summis precibus exoptaret, ac dimidiam regni sui partem contemptura esset, dummodo sua præsentia Angliam honoraret. Ceterum abs dubio Polus nomine suo jam antea Penninum in Angliam præmiserat, quamvis Dandinus Legatus obstitisset, ac eidem Commendonum subrogasset. Insuper Penningus suis literis hæc inseruerat: haud temere hæreticorum tumultus ve-
 „reor, cum ob suum furorem, atque
 „arrogantiam merito timendi sint, qui-
 „nimo ipsa etiam Regina illorum mo-
 „limina pertimescit, nec etiam Ecclesiæ
 obe-

Pallav. l. c. cap. 8. n. I.

Sæcul. XVI., „obedientiam palam profiteri valet ante
A.C. 1553. Senatus comitia: ut ergo summo Pon-
 tifici ritu legitimo obsequium præstare
 posset, consultius erit, si adventum
 tuum tam diu differas, donec Regina
 sit coronata, sacroque oleo uncta: in-
 terea vero eadem se spondet curaturam,
 ne in iurejurando, quod a subditis præ-
 stabitur, quicquam adversus supremam
 Pontificis auctoritatem enuntiaretur,
 minus vero tolerabit, ut ei titulus su-
 premi Capitis Ecclesiæ Anglicanæ at-
 tribuatur,, Ad hæc literas Polus die
 secunda Octobris Tridenti, ubi adhuc
 morabatur, ipsimet Regiæ respondens
 illam hortabatur, ut seposito occurren-
 tium difficultatum metu totam suam fi-
 duciam in Deo reponeret, qui eam
 hucusque luculentis adeo signis pro-
 texit, semperque illam in regni folio fir-
 maturus est, quamdiu Christi Domini
 Vicarium colere, ejusque auctoritatem
 restituere adlaboraverit. Denique ad epi-
 stolæ suæ calcem addidit, quod ob ne-
 gotia sibi a Pontifice demandata Cæsa-
 rem adire pararet.

§. LXXIX.

*Polus Dilingam veniens, ibidemque
 Regiæ literas recipiens.*

*Pallav. c. 8.
 num. 3.*

Itaque Polus Tridento profectus Dilingam Sueviæ urbem Danubio adjacentem,

centem, atque Augustani Cardinalis imperio obnoxiam pervenit, ubi aliquamdiu substiterat, publicæ securitatis literas præstolaturus tam a Wirtembergensi Duce, quam ab aliis Protestantibus Principibus, quorum ditiones absque fidei publicæ sponse tuto pertransire haud posset. Occurrebat eidem in hac urbe Penningus ex Anglia redux, qui ipsi literas a Regina proprio chirographo signatas, ac die septima Octobris datas tradebat, in quibus eadem Polo significabat, quod harum bajulus ipsum de singulis in hac epistola non contentis certiore esset redditurus, interea vero ipse modicis itineribus Bruxellas peteret; cum ibidem tutius illum per Atrebatensem Episcopum de Regni sui statu edoctura esset.

§. LXXX.

Polus per Reginae literas iter suum differre rogatus.

Cum interea Dandinus a legatione sua revocatus Romam rediret, per viam Polo occurrens eidem significabat, quod ejus in Angliam legatio Cæsari minus grata videretur, eo quod ejus consiliis adversa esset, ac propterea is jamjam quibusdam indiciis suam manifestasset indignationem: insuper id ipsum a Floribello coram Polo fuisse confirmatum

Hist. Eccles. Tom. XII. T t fer-

Sæc. XVI.
A.C. 1553.

Sæcul. XVI. fertur: saltem veritatis speciem præse-
A.C. 1553. ferre videtur, quod Cæsar rem adeo
 dextere instruxerit, ut Maria Regina
 per quemdam nuntium Cardinali signifi-
 ficari fecerit, quod ejus ingressum in
 Angliam aliquantum differri, Religio-
 nis plurimum interfit, cum quorum-
 dam animi ad agnoscendam Pontificis
 auctoritatem parum adhuc propensi
 essent. Hujus negotii curam Regina
 committebat cuidam nomine Goldwello,
 qui postea Asaphiensis Episcopus est re-
 nuntiatus, atque Cardinali duo decreta
 a Senatu edita tradere jubebatur, quo-
 rum primo Maria legitimis natalibus,
 suisque juribus reddebatur, altero au-
 tem omnia ad eundem, quo sub Hen-
 rico VIII. morti proximo erant, statum
 revocabantur. Porro Regina per hunc
 Deputatum Cardinali Polo ista signifi-
 cabat: „Communis, ut vocatur, Cu-
 „ria hisce duobus edictis quidem con-
 „sensit, Ecclesiasticam tamen potesta-
 „tem Angliæ Regibus auferri, ac Sedis
 „Apostolicæ Auctoritatem restaurari,
 „ægerrime fert, ac insuper Angli non
 „parum commoti videntur, eo quod
 „jamjam te tanquam Legatum adven-
 „tare intellexissent, eapropter mihi per-
 „molestum accidit, quod ea res, quam
 „duntaxat summo Pontifici communi-
 „care, Commendano permittebatur,
 adeo

„adeo intempestive fuerit propalata: hinc
 „rogo te, ut ingressum tuum in Angliam
 „usque ad nova mandata differas, in-
 „terea vero, cum tua monita maximi
 „habeam, peto, ut eorum, quos ad
 „vacantes vel deinceps vacaturos Epi-
 „scopatus idoneos censes, nomina
 „designes.„ Ceterum ad hanc Re-
 ginæ epistolam Poli responsum igno-
 ratur, atque exstat duntaxat quoddam
 illius scriptum Goldwelo traditum, in
 quo Cardinalis de utroque edicto que-
 ritur, & quidem de primo, eoquod in
 illo nulla facta fuisset mentio de Papæ
 Bullis, ex quibus tamen præcipue va-
 lor matrimonii inter Catharinam Arra-
 goniam, & Henricum VIII. comprobaretur:
 de altero autem querebatur, quod
 Ecclesiæ officiis, ac Sacramentis ad
 eundem statum, quo Henrico obeunte
 erant, revocatis Anglia in schismate
 relinqueretur. Postmodum Commen-
 doni innocentiam vindicans Reginam,
 ut titulum supremi Capitis in Ecclesia
 Anglicana dimitteret, enixe hortabatur,
 agendique rationem Cæsaris discessum
 suum in Angliam retardantis reprobaba-
 bat, affirmans, quod Viro, quem Im-
 perator a Confessionibus habet, collo-
 cutus, eum de hujus consilii injustitia
 convicerit, eumque induxerit, ut is
 Cæsarem ad saniora reduceret.

Sæc. XVI.
 A.C 1553.

T t 2

§. LXXXI.

Sæc. XVI.

A. C. 1553.

§. LXXXI.

*Polus Cæsaris jussu in Germania detentus.**Pall. l. 13.**c. 8. n. 5.**Ciacon. t. 3.**p. 631.*

Nihilominus insuper habitis Dandini Legati rationibus, ac Reginæ literis Polus iter suum proferebatur, postquam vero paucas intra ditionem Wirtembergensis Ducis, a quo securitatis literas accepit, leucas confecerat, obviam habuit Joannem Mendozam, qui Hispanorum equitum agmini Augustæ præerat. Hic nomine Cæsaris Polum accedens eidem hæc significabat: „Imperator maturius pensato Angliæ statu Reginæ, cui sanguine junctus est, commodis prospicere, ejusque res promovere sese obstrictum censet: quapropter minus consultum existimat præproprium tuum accessum ad Londinensem Avellam, atque idcirco petit Imperator, ut vel ibi, vel in alio itineris loco, donec nec aliud nuntietur, subsistere velis, tibi que Leodiensem urbem, si illa tibi præ ceteris placuerit, seligere poteris.„ Hic de Caroli mandato haud parum attonitus hæsit Polus, ac Dilingam urbem Tridento parum distitam reversus inde datis ad Cæsarem literis eidem exponere, Cæsareæ Majestati indecens esse, quod Papæ Legatus in Religionis causa decretus tam indigno modo habe-

beat, & non sine Ecclesiæ ignominia, Sæcul. XVI. A. C. 1553.
 ac Pontificis contemptu in Germaniæ centro spectantibus hæreticis subsistere
 compellatur, nec non nomine, jussu-
 que Christiani Cæsaris tanta injuria af-
 ficiatur. Porro cum Polus jam hujus
 Imperatoris indolem sibi probe perspe-
 ctam haberet, hancque objurgationem
 ad mutandum ejus animum satis vali-
 dam fore censeret, ad prosperum con-
 siliij sui successum opera utebatur cujus-
 dam religiosi ex Ordine S. Dominici, qui
 Caroli conscientiam moderabatur.

§. LXXXII.

*Pro obtinenda abeundi facultati Polus
 Dominici Soti opera usus.*

Erat hic Religiosus Dominicus Soto, Pallav. n. 6. Ciacon. l. c.
 seu Sotus natione Hispanus, qui
 periculoso, ac tædioso hoc munere apud
 Cæsarem per plures annos functus, tan-
 dem ab aula recedendi facultatem obti-
 nuerat, ut sese eo liberius impugnandis
 novis hæreticorum erroribus totum im-
 pendere posset, quam in rem opera uteba-
 tur Martini Olavi Doctoris, qui postea
 D. Ignatii Societatem ingressus est. De
 cetero hos ambos Doctores Cardinalis
 Otto Truchsesius Augustanus Episcopus
 eo induxerat, ut Dilinganam Universita-
 tem nuper ab eo conditam administra-
 rent, Sotus acceptis a Polo literis ad
 T t 3 ejus-

Sæcul. XVI.
A. C. 1553.

ejusdem preces Bruxellas contendit, tamque vehementi rationum pondere pro Polo Cardinale coram Cæsare peroravit, ut hic eidem Aulam accedendi, ibique usque ad conciliatas Philippi Filii sui cum Maria nuptias commorandi facultatem impertiretur. Dabat Cæsar hanc epistolam ad Polum die vigesima secunda Decembris: verum Angliæ Senatus, regni que Proceres hasce nuptias consensu suo firmare reluctabantur, præcipue vero Communium Curia, quamprimum Reginam Hispaniæ Principi desponsandam intellexerat, uno voce, ac suffragio reclamabat, moxque Oratorem suum unacum viginti suorum præcipuis ad Reginam supplicatum mittebat, ne ulli extero nuberet. Aula ut hunc tumultum sedaret, die sexta Decembris Senatus acta irritabat, & Gardinerus Cancellarius Cæsarem de vehementi Anglorum oppositione adversus hoc connubium certiore reddebat, datisque literis eidem significabat, quod Regina hasce nuptias missas facere cogeretur, ni Cæsar illam protegeret, atque ex Nobilibus præcipuos, necnon cujuslibet Provinciæ Præfectos ingenti pecuniarum summa sibi conciliare studeret.

§. LXXXIII.

§. LXXXIII.

Sæc. XVI.
A.C. 1552.*Cleri Anglicani decreta in comitiis
facta.*

Senatu interea coacto Clerus quoque Burnet
t. 2. l. 2.
Sleid. comra.
lib. 25. p. 34.
sua pro more habebat comitia, in
quibus Bonnerus, qui ibidem præerat,
Harfsfieldo Sacellano suo injunxit, ut
coram Præsulibus sermonem haberet.
Hic in ista verba ex Actis Apostolorum
capite vigesimo desumpta: *Attendite
vobis, & universo gregi*, differens in
amplas Reginæ laudes excurrebat, nec
non Præsules Religionis Catholicæ de-
fensores plurimum commendabat. Post-
ea hic idem Orator Catechismum re-
gnante Eduardo typis impressum una-
cum nova liturgia damnari voluit, eo-
demque tempore in deliberationem vo-
cabantur duo articuli de præsentia reali,
& transubstantiatione, quibus una om-
nes assensere, illosque suo chirographo
firmarunt, exceptis sex Doctoribus, qui
erant Viacomienfis. Archidiaconus,
Rossanus, & Exoniensis Decani, nec-
non duo Archidiaconi Herefordiensis,
scilicet & Stoviensis præter Sancti Da-
vidis Cantorem, qui una omnes hoc ar-
gumentum ordine suo discuti petierunt,
quod eis etiam datum; non equidem
perinde ac si doctrinæ ab omnibus fere
Ecclesiasticis comprobatae veritas in du-
bium

Sæcul. XVI.
A.C. 1553.

bium vocaretur, sed ut quæstione magis dilucidata paucorum, qui in eandem sententiam cum ceteris abire cunctabantur, voluntati satisfaceret. Verum ex his ipsis sex Doctoribus tres huic disputationi interesse renuebant, ceteri vero suæ opinioni inhærentes in arenam descendebant, quos inter prior Herefordiensis Archidiaconus verba faciens contra transubstantiationem nil nisi triviales, ac centies solidissime confutatas objectiones proponebat, & Viacomienfis quoque Archidiaconus prolixo sermone contra Missæ sacrificium declamans, Christum ibidem haud esse præsentem contendebat; ast unica responsione elusis omnibus disputationi finis imponebatur, ita, ut propterea nil omnino circa duos hosce articulos de præsentia reali, & transubstantiatione jam antea receptos, ac signatos immutaretur. Hæc decreta postmodum per Protestantem Anglicum sermone edita, Volerandi Poloni opera latine typis vulgata prodire.

§. LXXXIV.

Hæretici in Francia multati.

Thu. hist.
l. 13. ad hunc
ann.
Sleid. l. 25.
p. 933.

Cum interea Regina in suo Regno vere Religionis restorationi insudaret, haud segniori studio in Galliis ejusdem conservationi incumbebatur, præcipue vero multi ob hæresin supplicio affecti fuere,

fuere, quos inter erant Lugduni Martialis Albus, Petrus Scriba, Bernardus Seguinus, Carolus Faber, Petrus Navierius, pluresque alii, qui omnes publicis Bernatum sumptibus Lausannæ literis operam dantes, sectæ, quam Bernates profitentur, propagandæ causa in Gallias clam submissi fuere. Insuper quamvis Henricus cum Germaniæ Protestantibus armorum societatem adversus Carolum V. Cæsarem iniisset, ipsumque velut capitalem Franciæ hostem habuisset, nihilominus priusquam ad castra discederet, Senatuum suum adire, ac Magistratus hortari voluit, ut fidem tueri, errores extirpare, eorumque fautores ad terrorem aliorum severa castigatione coercere vellent: quapropter hoc anno præfati religionis corruptores a Bernatibus submissi ad rogi supplicium damnabantur, quos inter erat quoque Ludovicus Marfacus, Vir militaris, cui, eoquod Regis stipendia meruisset, infamiæ notam Judex condonare volens eum laqueo vinciri noluit: ast ille insulso prorsus joco, atque in mortis scœna admodum importuno a Præ-tore sciscitatur, cur non & ipse simili torque (laqueum intelligebat per carnificem ceterorum collo injectum) donaretur, & tam illustris, ac præstantis Ordinis Eques crearerur? quo dicto

T t 5

allu-

Sæc. XVI.
A.C. 1553

alludebat ad morem inter Principes usu receptum, vi cuius, quos honorare volunt, in sui Ordinis numerum cooptant, ac torque velut honoris, ac virtutis insigni condecorant.

§. LXXXV.

Hæretica pestis Lutetiæ Parisiorum plurimum invalescens.

*Thu. &
Steid. l. c.*

Nihilominus hæresis longe, lateque sese Parisiis diffundebat, nec ejus progressus sistebat severitas, qua singulis ferme diebus non pauci ob hoc crimen rogi supplicio afficiebantur, cuius rei invidia a non paucis in Cardinalem Turnonium rejiciebatur, qui quamvis regni tranquillitatis summe studiosus esset, nec citra turbas in causa Religionis quidquam novari posse existimaret, sectarios tamen omnes ut publicæ quietis perturbatores odio prosequeretur: Verum hanc culpam alii plures Pic-taviæ Valentinæ Duci imputabant, quæ, ut Aumalium, & Marcianum generos suos, eosque captivos redimeret, bona eorum, qui ob hæresis crimen damnabantur, fisco adjudicata a benigno Principe, cuius ingenio abutebatur, veneficiis suis impetraverat, & per viros a se constitutos, atque emissarios, ut quæstiones ea de re frequentes, ac nonnunquam injustæ haberentur, curabat.

§. LXXXVI.

§. LXXXVI.

Sæcul. XVI.
A. C. 1553.

*Michael Servetus Calvinijussu Genevæ
comprehensus.*

Verum haud mitius ipsimet Protestan-
tes sæviebant in Michaellem Ser-
vetum, quamvis cum ipsis eodem, licet
in quibusdam opinionibus ab illis di-
screparet, hæresis veneno infectus esset.
Hic varias Regiones, ut alibi memini-
mus, pervagatus anno Domini mille-
simo quingentesimo quinquagesimo ter-
tio Viennam in Delphinatu pervenit,
ubi Calvinus sua tum auctoritate tantum
effecerat, ut Servetus comprehenderetur,
ex qua captivitate mala satis funesta
eidem acciderant; nam dudum jam Cal-
vinus Serveto exitium procurandi occa-
sionem quærebat, quam etiam ipsemet
huic hæresiarchæ suppeditabat, post-
quam suum tertium de Trinitate librum,
cui titulus: *Christianismi restitutio*: ty-
pis evulgaverat; licet enim hoc opus
furtivo prælo, ac e mentito *Villanova*
nomine ederetur, nihilominus Calvinij
notitiam haud effugerat, qui etiam sin-
gulas paginas eo, quo imprimebantur,
ordine acquirendi viam erat nactus.
Hanc in rem Anno Domini millesimo
quingentesimo; quinquagesimo tertio
Mense Martio cuidam Guilielmo Tryo
negotium dabat, ut missis Lugdunum
literis

*Thuan. l. 12.
num. 11.
Spond. hoc
ann. n. 14.*

*Sandius
Bibl. Anti-
trin.
Sander
hæres. 227.
Varillas hist.
des Heret.
t. 4. l. 20.
p. 343.*

Sæcul. XVI literis Servetum, tanquam Virum sum-
A.C. 1553 me perniciosum, describeret, suæ vero
 epistolæ adjungeret præfati libri titu-
 lum, Indicem, primasque paginas. Ac-
 ceptis hisce literis mox Lugdunenses
 tam severa dabant mandata, ut Serve-
 tus ineunte Mense Junio Viennæ car-
 ceri manciparetur, is tamen, qui eun-
 dem captum abducebat, carceris custodi
 præcepit, ut eum mitius haberet, si-
 mulque eidem famulum, nec non libe-
 ram suos amicos salutandi opportuni-
 tatem permetteret. Porro Judices, co-
 ram quibus Servetus bina vice compa-
 rare erat jussus, illum erroris convincere
 parum solliciti erant, unde facili nego-
 tio fuga e carcere elapsus die decima
 septima ejusdem Mensis tanquam con-
 tumax damnabatur, indicto supplicio,
 ut lento igne vivus combureretur, si
 comprehenderetur: interea vero ejus-
 dem effigies unacum illius libris igni
 traderetur. Hoc postremum quoque
 supplicii genus eadem die executioni da-
 batur; quippe Serveti effigies currui
 imposita ad solitum supplicii locum de-
 ducebatur, ac patibulo affixa unacum
 quinque ejus librorum fasciculis com-
 burebatur. Interea Servetus tutum quæ-
 rebat asylum, in quo hostium suorum
 furori sese subducere posset, cum autem
 Genevam præ ceteris omnibus suo pro-
 posito

Sæcul. XVI
A.C. 1553.

posito magis opportunam censeret civi-
tatem, hinc eo confugerat, verum paulo
post morti, quam declinare nitebatur,
ultro occurrebat; Calvinus enim Serve-
tum eo recessisse haud ignorans Syndi-
cum accessit, a quo etiam Servetus de
hæresi accusatus die decima tertia Au-
gusti rursus in vincula conjicitur, ac
postera die quæstioni subicitur.

§. LXXXVII.

*Quadraginta accusationum capita ad-
versus Servetum coram Judi-
bus prolata.*

Cum ex municipali ejusdem urbis jure
Accusator ad eandem cum accu-
sato pœnam carceris sese obstringere te-
neretur, Calvinus vero pro Serveti adver-
sario haberi nollet, eapropter quemdam
nomine Nicolaum Fontanam subroga-
bat, clamque in instruendis judicii actis
illum moderabatur; nam vero sat simile
est, quod Fontana Calvinus Discipulus,
ac ei ab epistolis fuerit, unde nonnulli
Scriptores illum hujus Hæresiarchæ fa-
mulum, vel coqum fuisse perperam affir-
mant. Magistratus accusationum capita
recipit, examinat, eaque ad accusati
condemnationem sat valida censet, hinc
nil ultra supererat, nisi ut hac in re
adeo caute procederet, ne Helvetiorum
Pagis

Sæcul. XVI. A. C. 1553. Pagis ulla querendi anfa præberetur. Eapropter duo excogitabantur media, quorum primo decretum, ut Servetus circa errores, de quibus accusabatur, cum Calvino in arenam descenderet, altero autem præceptum, ut circa sententiæ pronuntiandæ normam Tribuum Helveticarum iudicium exquireretur. Id tamen antequam fieret, Calvinus cum Serveto disputare aggressus est, ubi prior ludicræ huic scænæ initium dedit Servetus, ac vanam doctrinæ suæ ostentationem præmittens certaminis sui argumentum ad tria reduxit capita, in quibus de Christo Domino, de Filio Deo, ac tandem de ipso Deo differebat, ac circa hæc omnes suos effundebat errores, præcipue affirmans, ex eo, quod Deus nonnisi unus in natura, æternus, invisibilis, atque incomprehensibilis sit, cunctaque creaverit, ac gubernet, omniaque ab eo producta existant, inferendum esse, quod Christus Dominus non sit supremus Deus, sed pura creatura, eique magnus Dominus, ac Deus ingentem potentiam, ac sanctitatem dederit, nec non illius dominio omnia subdiderit, ab illis tamen verbis Prophetæ dicentis, quod Christo omnia sint subiecta, abs dubio excipiendus veniat ille, qui ei subiecit omnia. Hunc in modum argumentabatur Servetus.

*Lubieniki
hist. reform.
Eccl. Pol.
1685.*

§. LXXXVIII.

*Helvetiorum Protestantium Pagi circa
Serveti causam in consilium
vocati.*

Ad hæc Calvinus Serveto reponebat, quod omnes prærogativæ, quæ in Sacris Literis Deo attribuuntur, pariter convenient Christo Domino, qui unacum Patre suo est Magnus, supremus Dominus, & unicus Deus, æternus, ac omnium Rerum Creator; id vero Calvinus per plura novi Testamenti testimonia comprobatum reddebat, demonstrans, quod omnia argumenta a Serveto allegata, atque ex Sacro Codice contra Christi Domini Divinitatem deprompta unice ejus humanitati, seu Christo Domino, tanquam homini adscribenda sint. Verum Servetus, cum eum adversarii sui argumenta haud convincerent, eidem coram omnibus hæc exprobat: contra mentem tuam loqueris, nam notum est, quod idem mecum circa Christum Dominum sentias, prout id satis aperte ex verbis tuis, ac scriptis elucet. Postea eidem Calvino objiciebat, quod fidei articulos juxta luxuriantis ingenii sui arbitrium sibi cuderet, ac Papistam, necnon Sorbonæ Doctorem ageret. Calvinus, cum se per Virum suæ potestati jamjam sub-

jectum

Sæcul. XVI.
A.C 1553.

Thu. hist.
l. 12. n. 11.

jectum adeo contemptum, & protritum
cerneret, nec tamen ipso Serveto mi-
nus animosus esset, vicissim eidem il-
lius superbiam, atque errores expro-
babat, ut proin mutua hæc convitiandi
libido totius hujus disputationis exitus
esset; cum autem Servetus suis opinio-
nibus pertinaciter inhæreret, ac spre-
ta carceris pœna, & periculo, quocum-
jamjam luctabatur, semper affirma-
ret, quod Christus Dominus non nisi
homo, nequaquam vero supremus, at-
que a nullo ente dependens sit Deus,
hinc Magistratus unice eo curas inten-
debat, ut judicii acta adversus eum in-
struerentur, priusquam tamen causa
capitis inchoabatur, Magistratus, necnon
Basileenses, Tigurini, Bernates, & Sca-
phusiani Ministri hac super re in confi-
lium vocabantur.

§. LXXXIX.

*Servetus lata in eum sententia
combustus.*

Sleidan.
l. 25. p. 953.
Thu. l. c.
Calvin. epist.
ad Sultze-
rum n. 156.

Cum accusationum capita, contra Ser-
vetum prolata essent perlecta, Hel-
vetiorum Pagi hæc in responsis dabant: „
cum Servetus hæreses jam olim ad
„turbendam Dei Ecclesiam a diabolo
„suscitatas innovare præsumpserit, inde
„in deforme monstrum haud ultra in
„terrarum Orbe sustinendum degenera-
vit

„vit, hinc mortis reus cenfetur.,, Ac-
 cepto horum iudicio Genevenfes iudicii
 acta adverfus eum perficere feftinabant,
 & quamvis tam accusati fautores, quam
 occulti Calvini hoftes pro eo deprecarentur,
 pluresque alii ceteroquin neutri parti
 adhærentes, ut tota cauffa ad Senatum
 ex ducentis Viris compositum devolveretur,
 nil intentatum relinquerent, fpe freti,
 quod in hoc Senatu mitius in reum animad-
 verteretur, quini- mo licet quidam ex plebe
 fæpius eum e carcere fuo liberare, eundemque
 in libertatem afferere niterentur, nihilominus
 Genevenfis Magiftratus eum die vigefima
 fexta Octobris ad rogi fupplivium damnavit,
 atque altera etiam die vigefima feptima
 ejusdem Menfis hæc fententia in eum pronun-
 tiata executioni fuit data. Agebat Servetus
 eo tempore quadragesimum quartum ætatis
 fuæ annum, ac referente Calvino, mortis
 fententiam excipiens nunc attonitus, atque
 immotus videbatur, nunc fufpiria ex immo
 pectore trahebat, ac non raro fatuo fimilis
 in lamenta effundebatur, Hispanorum more
 vociferans; *mifericordia! mifericordia!*

Sæcul. XVI.
 A.C. 1553.
Sandius
Bibl. Anti-
trin. p. 6.
Calv. epist.
n. 161. ad
Faral. 26.
Octobr.

§. XC.

Præcipui errores Serveti.

Hift. Ecclef. Tom. XLI. Uu Cete

Sæcul. XVI
A. C. 1553.

Sandius
l. c. p. 9.
Vid. lib.
CXXXIII.
§. CXXV.
§. VI.

Ceterum Servetus quamplurimis infectus erat erroribus; postquam enim Lutheranorum, Sacramentariorum, & Anabaptistarum deliria hauserat, quosdam etiam edidit libros, in quibus Pauli Samosatani, Sabellii, Arii, Photini, aliorumque errores innovabat, ac præprimis affirmabat, quod illi, qui Dei essentiam in tribus Personis realiter distinctis, & in una Natura subsistentibus agnoscunt, Athei sint, nec alium velint Deum, nisi qui juxta eorum opinionem ex Divinitate conflatus est, seu qui per connotationem, vel per accidens Deus existit, nec unus Deus Magnus, supremus, atque absolutus est. Ceterum admittebat quidem Servetus, quod in Trinitate agnoscat Persona- rum distinctio, ea tamen nonnisi exterior, Verbumque a principio nil aliud foret, quam ratio idealis, quæ hominem futurum præfigurabat: His addebat, quod in hoc Verbo, seu ratione ideali contineatur Christus Dominus, ejus imago, persona, facies, ac virtus humana, in reliquis autem nullum reale detur discrimen inter Verbum, & Spiritum sanctum, nec unquam etiam in Deo extiterit vera, & realis generatio ac spiratio, & Christus tantum ex eo sit Filius Dei, quod fuerit in sinu Virginis operante Spiritu sancto conceptus, atque

atque ab ipso Deo ex sua substantia ge-
 nitus. Docebat insuper, quod *Dei Ver-*
bum de cælo descendens nunc sit caro
Christi Domini, adeo, ut ejus caro sit
caro de cælo, corpusque Christi sit cor-
pus deitatis, caro vero ejus penitus di-
vina, nec non caro Dei cælestis, de ipsa
Dei substantia progenita. Explodebat
 Servetus Personarum distinctionem, asse-
 rens, quod ea nil sit nisi *imago, ac spe-*
cies personalis, quæ imago esset Christi
Persona in Deo, etiam Angelis commu-
nicata: Spiritum sanctum vero in Apo-
stolorum animas descendisse affirmabat,
 prout *Verbum descendit in Christi car-*
nem. Postquam igitur plures blasphemias
 contra animæ substantiam effu-
 tierat, tandem inferebat, quod *anima*
sit ex Deo, ejusque substantia, & in-
spiratio creata in illam fuerit justa una
cum Deitate, & iterum nova spiratione
in unam cum Deo lucem substantialiter
coeat per Spiritum sanctum: quapropter
 parvulorum Baptismum inutilem, ac
 nonnisi humanum esse inventum, nul-
 lumque peccatum committi posse ante
 vigesimum ætatis annum, & animam
 fieri mortalem per peccatum asse-
 rebat. His erroribus adjecit adhuc
 plures alios, quos in Antitrinitariorum
 Bibliotheca reperire est.

Sæcul. XVI
A C 1553

§. XCI.

Michæelis Serveti opera typis impressa.

Præter hæc hæreses Servetus Lugduni sacra Biblia imprimi curabat, verum adjectis in margine notis verum eorum sensum nequiter depravabat, necnon attribuebat Cyro ea, quæ in Prophetis de nostra reconciliatione, peccatorum expiatione, ac maledicto per Christum sublato leguntur.

Insuper Servetus plura adhuc alia elucubravit opuscula, quæ potissima ex parte typis edita prostant, atque inter ista primum est liber, cui titulus: *The-saurus animæ Christianæ, seu Desiderius Peregrinus de expedita ad Dei amorem via &c.* Hic libellus Hispano idiomate conscriptus cum Regis Privilegio vulgabatur: postea vero ex Hispana in latinam, aliasque linguas vertebatur, & latina versio Roterodami in minori forma Anno Christi millesimo quingentesimo septuagesimo quarto edebatur, cui demum tertio post anno Theologiæ Synopsis ab Erasmo Brentio conscripta addebatur.

Sandius l. c. p. 11. & seq

Simon Bibl. critique t. 1. p. 33.

Alterum Serveti opus *libros septem de Trinitatis erroribus*, complectitur Hagenoæ, non autem Basileæ impressum, in quo Servetus sese nuncupabat *Reves,*

Reves, quod vix non genuini sui nomi-
 nis anagrama est. Hic liber præcipuum
 est Serveti opus Anno Domini millesimo
 quingentesimo trigesimo primo quadran-
 tibus foliis editum.

Sæcul. XVI.
 A. C. 1553.

Primæ horum septem librorum edi-
 tioni adjecit duo alia opuscula, quorum
 primum inscribatur: *Dialogorum de
 Trinitate libri duo*: alterum vero hunc
 præferebat titulum: *De justitia Regni
 Christi capitula quatuor per Michaelem
 Servetum alias Reves ab Arragonia Hi-
 spanum Anno Domini millesimo quingen-
 tesimo trigesimo secundo*. Huic libello
 sequens præfixa est præfatio.

„Lectori Salutem.

„Nunc ea omnia, quæ contra re-
 „ceptam de Trinitate opinionem in
 „septem meis libris scripsi, retracto non
 „quidem perinde, ac si quid falsi enun-
 „tiassem, sed quia hoc opus non est
 „omnibus numeris absolutum, ac vel-
 „uti a puero pro pueris scriptum: Si
 „vero hic primus liber barbaro, con-
 „fuso, ac mendoso conscriptum videtur
 „stylo, id meæ ignorantia, ac typo-
 „graphi oscitantia adscribendum venit,
 „nec inde tamen Christianorum quem-
 „piam offendi volo, quia Deus non-
 „nunquam hujus mundi stultitia utitur,
 „ut eluceat ipsius sapientia: Itaque ob-
 „serves velim, Lector, ne menda mea

U u 3

te

Sæcul. XVI. „te a dictorum meorum, vel postea di-
A.C. 1553. „cendorum utilitate avertant. „ Ve-
rum hæc declaratio minime obstabat,
quominus secundus etiam liber æque,
ac primus inconcinne, obscure, parum-
que ordinatim fuerit conscriptus. In
duobus Dialogorum libris Auctor Mi-
chaelem, & Petrucium inducit veluti
inter se colloquentes de primis verbis
Geneseos, necnon de principio Evan-
gelii S. Joannis, ac denique de aliis ar-
gumentis. In opere de *Justitia Regni
Christi cum legis justitia collati* Servet-
tus de charitate differit, totumque li-
brum in quatuor partes distribuit, in
quarum prima discutit ea, quæ D. Pau-
lus de justificatione tradit: in altera
vero agit de Regno Christi, & in tertia
legem cum Evangelio confert. Deni-
que in quarta discurret de viis charita-
tis. Præter hæc recenset Sandius aliud
adhuc opus sub titulo: *Universa Ratio
Syruporum*: verum hic liber de medi-
cina agit, atque unicus est, a Serveto
de hoc argumento elucubratus, editus-
que fuit primo Parisiensibus literis Anno
Salutis nostræ millesimo quingentesimo
trigesimo septimo, ac Venetiis Anno
millesimo quingentesimo quadragesimo
quinto, ac denique Lugduni anno se-
quenti excusus prodiit.

Exstat

Exstat adhuc aliud percelebre ejusdem Auctoris opus, cui titulus: *Christianismi restauratio, seu vocatio universæ Ecclesiæ Apostolicæ suis limitibus circumscriptæ, ac in integrum restitutæ per cognitionem Dei, fidem in Christum, justificationem nostram, regenerationem, Baptismum, & Cœnam, ubi detegitur, qua ratione nobis redditum sit regnum Dei, & quomodo a jugo Babylonis impie liberati simus, regnumque Antichristi, ac suorum sit penitus eversum.* Hic tractatus dividitur in sex partes, quarum prima continet septem libros, quibus declaratur, in Trinitate veram dari manifestationem Divinæ substantiæ in Verbo, necnon communicationem in Spiritu Sancto. Primus ex hisce libris agit de Christo Domino tanquam Homine, necnon de falsis Diis, ibidemque leguntur tria axiomata de Christo, totidem de Pharisæis, ac non pauciora circa falsas Sophistarum rationes, atque absurdas, quas exinde circa res invisibiles deducunt, consecutiones. Alter liber explicat viginti Sacræ Scripturæ textus: tertius vero pertractat, qualiter Christi Persona in Verbo fuerit præfigurata, & postea agit de visione Dei, & de Hypostasi Verbi. Quartus declarat Dei nomina, ejusque essentiam, quam omnes formas, omniumque rerum

Sæcul. XVI.
A.C. 1553.

Sæc. XVI.
A.C. 1553.

principia assumere inquit. Quintus discurret de Spiritu sancto: sextus vero, ac septimus complectuntur duos dialogos, quorum primus enarrat fidei umbras, quarum Christus Dominus est finis, ac complementum, ubi etiam agitur de substantia Angelorum, de animabus, & de inferno: porro alter eum, quo Christus fuit genitus, modum tradit, docetque Servetus, quod idem non sit creatura, sed verus Deus vere adorandus, nec ejus potentia limitetur. Altera pars, quæ tres libros continet, inscribitur *de fide, & justitia Regni Christi legis justitiam superantis, & de charitate*. Primus liber quatuor complectitur capita, in quorum primo de fide, in secundo de fidei essentia, in tertio de justificatione, ac denique in quarto de regno Christi agitur. Alter liber demonstrat discrimen inter legem, & Evangelium, nec non Judæum inter, & Christianum, cunctaque hæc pertractantur in tribus capitibus, quorum primo, quod Christianus Judæo longe præemineat, ostenditur, & in altero asseritur, quod lex nil nisi carnalem, justitiam vero spirituales contineat Evangelium: In tertio denique docet, quod in lege duntaxat fuerit justitia operum, in Evangelio autem justitia fidei. Tandem tertio libro charitatem confert cum fide, & bo-

Sæcul. XVI.
A. C. 1553.

& bonis actionibus, ibidemque per quinque capita agit de differentia inter gloriam, & præmium, necnon differit de illustribus charitatis titulis, de efficacia fidei, charitatis, & operum, necnon de virtute, & origine piarum actionum, ac denique considerat charitatem collatam cum fide, & eminentiam charitatis supra fidem adstruit.

Tertia pars in quatuor libros divisa titulum exhibet *de regeneratione, ac manducatione superna, & de regno Antichristi*. Horum librorum primus differit de corruptione mundi, & reparatione per Christum facta: secunda autem ejusdem libri pars discutit potentiam coelestem, terrestrem, & infernalem diaboli, atque Antichristi, agitque de nostra victoria contra hosce hostes reportata. Alter liber itidem in duas partes divisus loquitur de vera circumcissione unacum aliis mysteriis jam in Christo, atque Antichristo adimpletis. Tertius continet Mysteria Ecclesiæ Christi, eorumque efficaciam, ubi pariter mentio fit de magna prædicationis Evangelicæ, Baptismi, & cœnæ virtute. Tandem quartus complectitur ordinem Mysteriorum regenerationis nostræ.

Quarta pars libri *de restitutione Christianismi* comprehendit triginta epistolas ad Calvinum datas: in quinta au-

U u 5 tem

Sæcul. XVI.
A.C. 1553. tem recensentur sexaginta notæ, ex quibus Antichristi regnum dignosci potest: insuper manifestatio ejusdem veluti jamjam existentis exhibetur. Denique sexta pars hunc præsefert titulum: *De Mystério Trinitatis ex veterum disciplina ad Philippum Melanctonem, ejusque Collegas apologia.* Ceterum totus liber quadrantibus foliis Viennæ in Delphinatu Anno Domini millesimo quingentesimo quinquagesimo tertio impressus septingentas triginta quatuor paginas continet: verum hujus libri exemplaria admodum rara sunt, eo quod ferme omnia vel igne combusta, vel urgente Calvino, ac Genevensibus Ministris fuerint suppressa, duo tamen adhuc Parisiis reperiuntur, quorum unum, sed mancum in regia, alterum vero integrum in Colbertina Bibliotheca affervatur.

Apoc. c. 12.
vers. 7.

§. XCII.

Calvinus suam erga Servetum crudelitatem edito libro vindicans.

Cum Calvinus probe prospiceret, quod sua agendi ratio, qua in Servetum animadvertit, Catholicos plene vindicaret a calumnia, per quam Protestantes illis frequenter crimini dabant, quod ad comburendos hæreticos ubique rogos accenderent, insuper cum aliunde Calvinum

Calvin. epist.
173. 187.
§ 214.

vinum haud lateret, quod ipsi etiam Sæcul. XVI.
 fodales sui hac de re graviter quereren- A. C. 1553.
 tur, hinc librum, in quo suam agendi
 rationem vindicare nitebatur, evulga- *Libellus*
 bat, hocque opusculum approbari cu- *Theodor.*
 rabat a Melanchtone, & Bullingero, qui *Bezae de*
 ambo tum præcipua erant capita Luthe- *hæreticis.*
 ranorum in Germania, & Zwingliano- *Idem in vita*
 rum in Helvetia. Verum quidquid Cal- *Calv. ad hunc*
 vinus ad honestandam suam invidiam *ann.*
 corradere satagebat, nequaquam tamen *Grotius vo-*
 obstare poterat, quominus Grotius aperte *tum pro*
 testaretur, quod hæc Serveti condem- *pate Eccles.*
 natio à Genevensi Magistratu facta Cal-
 vini Sectatoribus in Galliis admodum
 funesta fuerit, eoquod ibidem pari sup-
 plicio plecterentur, quin adversus hunc
 rigorem vel hiscere auderent: Theodo-
 rus Beza tamen, qui pariter suam Cal-
 vinum excusare conabatur, affirmabat,
 quod Servetus unice fuerit condemna-
 tus tanquam impietatis monstrum, non
 autem ut hæreticus, aut Sectarius, per-
 inde acsi quodunque demum hæresis sce-
 leratissimum complectitur, in impietate
 contra ipsum Deum, ejusque divinas per-
 sonas non confisteret, aut Calvinus ipse-
 met non errasset multis modis circa di-
 vinitatem, simulque circa innumeros
 pene disciplinæ articulos, quos contra
 omnem traditionem nonnisi ex hominum
 institutione descendere propugnabat

§. XCIII.

Sæcul. XVI.
A.C. 1553.

§. XCIII.

Turcici Imperatoris Filii trucidati.

Thuan. hist. l. 12. *Sleidan l. 25. p. 936.* *Belcar. comm. l. 26. num. 40.* Hoc anno in Oriente, cum duo Solimani Filii essent extincti, ac supremus Vezirius Imperatoris indignationem incurrisset, ingentes suscitabantur tumultus; quippe Mustapha ex Solimani Filiis natu major, formæ elegantia, ingenii acie, atque animi fortitudine cunctas Ottomanici generis soboles longa retro serie antecellebat. Huic ex Circassa, seu Bosphorana concubina suscepto ejus Pater Magresiam, Amasiannam Provinciam, necnon Carahemidam Mesopotamiæ ad Persicos fines sitam summo imperio gubernandam assignabat. Erant Mustaphæ plures fratres ætate licet minores, Selimus, Bajazethes, & Zeangires cognomine ac regibosus; qui omnes tres erant progeneri ex Roxolana Solimano nupta, cum autem hæc mulier Selimum filium suum natu majorem ad Imperii solium evehi ambiret, sollicitationibus, atque illecebris suis tam dextere summum Turcarum Sacerdotem ad sua pertrahebat studia, ut hic Sultanum Mustapham e medio tolli consentiret, quamvis ille Janissaris percarus, passim tanquam futurus Imperii successor haberetur. Eodem tempore hic idem unacum Matre sua

fua Carahemidæ in Mesopotamiæ fini- Sæcul. XVI.
 bus agebat, Solimani autem juffu mox A.C. 1553.
 inde profectus Patrem adibat: aft vix
 illius ingrediebatur tentorium, cum il-
 lico ab Eunuchis, & mutis comprehen-
 ditur, iniectoque laqueo misere fran-
 gulatur, cum falso accusatus effet, quod
 clam inito cum Perfis foedere Patrem
 fuum throno deturbare moliretur. Pa-
 trata hac cæde parirer Mustaphæ juve-
 nis Moderator capitur, ac securi per-
 cutitur. Attamen comperto Mustaphæ
 obitu tam ingens inter milites orieba-
 tur tumultus, ut plures furore incenfi
 in mutuas cædes debacharentur, ac
 plusquam duo millia perirent. Soli-
 manus ut furiosos placaret, supremum
 Vezirium nomine Rustanum, cujus ma-
 chinatione Mustaphæ cædes patrata di-
 cebatur, figillo adempto ab administra-
 tione removit, eidemque Achmetem
 Bassam suffecit, quamvis & ipse hac
 dignitate exiguo tempore frueretur.

Porro Mustaphæ necem brevi exci-
 piebat alia; quippe Solimanus Zean-
 girem tertio-genitum Roxolanæ filium
 in tentorium vocabat, qui etiam per-
 cepto Mustaphæ fratris fui, quem unice
 diligebat, adventu eundem complexu-
 rus accurrebat; cum vero illum in terra
 jacentem, atque occifum cerneret, adeo
 hujus spectaculi indignitate commove-
 batur,

*Leuncl.
 suppl. annal.
 Turc. Nata-
 lis l. 7.
 Belcar. l. 26.
 num. 41.*

Sæcul. XVI.
A.C. 1553.

batur, ut Patris immanitatem, ac sævitiam durioribus verbis incusaret, moxque pugione per viscera adacto in defuncti fratris sui cadaver irrueret. Geminatum hoc filiorum funus Solimanus tantopere deplorabat, ut facti turpitudinem obtekturus Zeangirem ex subitanea infirmitate decessisse spargeret, atque a Janissaris contra se seditionem concitari veritus sese Alepinæ urbi includeret. Verum transactis ibidem aliquot diebus cum exercitu suo per Syriam in Palæstinam descendit, cumque ab Hierosolymorum urbe quatuor dierum itinere abesset, rursus Alepum contendit, accepto nuntio, quod Persæ de utriusque filii morte certiores facti Amesianam Provinciam invasissent, atque omnia ferro, flammaque vastarent. Dum hæc gerebantur, interea quidam ex Solimani Cubiculariis summa celeritate ad Selimum in Caramania agentem contendebat, eidemque, cum imperii successio defuncto ejus fratre ad illum devolveretur, rem gratam se facturum ratus, Mustaphæ cædem nuntiabat: at eum Selimus nequaquam benigno dignatus aspectu tanquam funesti nuntii bajulum mox interfici jussit, eo quod tenero prorsus affectu Fratrem suum fuisset amplexus. Paulo post Solimanus pariter Machometem Mustaphæ filium circiter

citer quatuordecim annos natum truci-
 dari præcepit, ut Roxolanæ omnem
 spem augetet, qua filios suos Patri in
 imperio successuros sperabat.

Sæc. XVI.
 A. C. 1553.

Cum autem subditi Mustaphæ ad-
 dictissimi fuissent, ob ejus necem de Ro-
 xolana vindictam sumere decreverunt,
 ac Mustapham adhuc vivum esse spar-
 gebant, quam in rem quemdam juve-
 nem eidem corporis habitudine haud
 absimilem subornabant. Hoc suum con-
 silium manifestant Bajazeti, qui ex Ro-
 xolanæ filiis superstes excluso Selimo
 ad imperii solium adspirabat, ac pro-
 pterea horum fraudi lubenter annuit,
 selegitque ex suis mancipiis unum, qui
 tam facie, quam statura Mustaphæ si-
 milis, atque idcirco ad hujus astus exe-
 cutionem natus videbatur: Igitur emen-
 titus hic Princeps hoc anno Domini mil-
 lesimo quingentesimo quinquagesimo
 tertio nonnisi parvo comitatu stipatus
 discedit, sparso rumore, quod Patris
 sui iram declinaturus fugere cogeretur,
 cum is abs dubio (ut inquiebat) eum non
 minori ferocia interfectorus esset, ac jam
 olim Eunuchum, quem sui ipsius loco
 quondam ad Patrem suum miserat, ac
 Solimanus suum esse Filium crediderat,
 e medio sustulisset. Insuper ficti hujus
 Principis Ministri subdole veluti rem ad-
 modum secretam declarant, quod ju-
 venis,

venis,

Sæcul. XVI.
A.C. 1553.

venis, quem comitarentur, Sultani Filius esset, verum brevi ea res in vulgus spargebatur: unde milites, qui Mustaphæ nomen summo in honore habebant, eum veneraturi accurrunt, præcipue insolita ementiti hujus Principis magnificentia decepti. Re percepta quantocius Solimanus omnibus Provinciæ Prætoribus præcepit, ut hosce seditiosos comprehenderent: insuper ex suis Præfectis quemdam nomine Pertavium cum exercitus sui robore ablegavit, ut commentitium hunc Principem caperet. Hic, utpote omnibus indigenis etiam militibus opem ferentibus, nullo ferme negotio hunc fraudis Architectum cepit, eumque Constantinopolim abduxit, ubi tormentorum acerbitate totam rei veritatem fateri compellebatur: nihilominus Solimanus duntaxat Bajazetem severa admodum objugatione plectebat, eoquod Roxolana ejus Mater Filio vitæ veniam a Marito impetrasset,

§. XCIV.

*Quatuor Cardinales a Julio III.
creati.*

*Ciaccon. in
vit. Pontif.
t. 3. p. 783.*

Exeunte hoc anno die vigesima secunda Decembris Julius III. Pontifex quatuor creabat Cardinales, quorum primus erat Petrus de Talavia de Arragonia natione

natione Sículus ex illustrissima Panor-
 mitanorum familia oriundus. Hic ejus-
 dem Urbis Archiepiscopus, cum antea
 plusquam duodecim annis Agrigenti-
 nam rexisset Ecclesiam, postea Cardi-
 nalis Presbyter titulo S. Calisti renun-
 tiabatur. Alter erat Robertus de No-
 bilibus summi Pontificis pronepos, non
 minus virtutum excellentia, quam ge-
 neris claritate insignis; nam natus is
 erat in urbe Montis Politiani die quinta
 Septembris Anno Salutis nostræ mille-
 simo quingentesimo quadragesimo pri-
 mo, unde vix decimum tertium ætatis
 suæ annum agens Cardinalis Diaconus
 Tit. S. Mariæ in Cosmodin creatus vi-
 detur. Tertius nominabatur Ludovicus
 de Guifia, qui Claudii primi Gui-
 fii Ducis, Comitis Aumaliæ, & Anto-
 niæ Borboniæ Filius fratrem habuit Car-
 dinalem Lotharingium Rhemensem Ar-
 chiepiscopum. Eo tempore, quo Lu-
 dovicus Cardinalis Diaconus tit. S. Tho-
 mæ eligebatur, Albiensem gubernabat
 Archiepiscopatum, postea vero unacum
 Metensi Ecclesia Senonensis Archipræ-
 sul creabatur. Denique quartus erat
 Hieronymus Simoncellus, natione Ita-
 lus, & patria Urbevitanus, itidem Pa-
 pæ Nepos, cum ejus Mater esset Bal-
 duni Montani Filia. Salutabatur is
 Cardinalis Diaconus primo tit. SS. Cos-
 mæ,

Sæcul. XVI.
 A.C. 1553.
 Raynald.
 hoc ann.
 n. 47. & 48.

Sæcul. XVI. mæ, & Damiani, & demum Sanctæ
A.C. 1553. Priscæ, ac paulo post a Papa in Cardi-
 nalem Presbyterum titulo S. Mariæ
 Transtyberin seligebatur, nec minus
 præerat ut Episcopus etiam, in patria
 sua Urbevetanæ, necnon Portuensi Ec-
 clesiæ.

§. XCV.

Maffæi Cardinalis obitus.

Ciacon. l. c.
p. 737.
Andr. Vi-
ctor. in addit.
ad Ciacon.
Aubery. de
vies des Car-
din.
Pallav. hist.
Conc. Trid.
l. II. c. 16.
num 3.

Æquali prorsus numero intra hujus
 anni curriculum morti in prædam
 cessere quatuor Cardinales, quos inter
 primus erat Bernardinus Maffæus ex Hieronymo Maffæo, & Antonina Matthæja
 Anno Domini millesimo quingentesimo
 decimo quarto Romæ progenitus. Hic
 idem adeo præclaros in literis fecerat
 progressus, ut celebris Poeta, Orator,
 Historicus, ac antiquitatum peritissimus
 indagator audiret, quibus ingenii doti-
 bus instructus celeberrimas frequenta-
 bat universitates, ac ubique litterato-
 rum existimationem sibi conciliabat, qui-
 nimo ipsemet Paulus III. hujus Viri elo-
 quentia illectus illum Alexandro Farne-
 sio Cardinali Nepoti suo Magistrum præ-
 fecit, ac demum suum a secretis Mi-
 nistrum instituit, necnon paulo post
 Vaticanæ Basilicæ Canonicum, ac de-
 nique Massanensem, Popolonensem, &
 Casertanensem Episcopum renuntiavit.

tandemque die octava Aprilis Anno In-Sæcul. XVI.
 carnationis Dominicæ millesimo quin- A.C. 1553.
 gentesimo quadragesimo nono Cardina-
 lium Collegio accensuit. Ceterum Maf-
 fæus nondum trigessimum quintum æta-
 tis suæ annum emensus erat, cum spei
 de ejus virtute, ac prudentia conceptæ
 rara ederet specimina; semper enim us-
 que ad ultimum vitæ suæ halitum pie-
 tatis, modestiæ, temperantiæ, ac man-
 suetudinis laude præfulgebat. Insuper
 arctam cum Ignatio Societatis Jesu Con-
 ditore amicitiam fovebat, eique ope-
 ram suam navabat ad excludendas a So-
 cietate dignitates Ecclesiasticas. Scripsit
 etiam Maffæus plura ingenii sui monu-
 menta, atque profundæ eruditionis te-
 stimonia, ex quibus præcipua sunt com-
 mentaria in epistolas Ciceronis, Histo-
 ria de inscriptionibus, & imaginibus an-
 tiquorum numismatum, nonnullæ ora-
 tiones, ac epistolæ quamplurimæ. Obiit
 hoc anno supra millesimum quingente-
 simo quinquagesimo tertio die sexta Julii,
 sepultusque est in Maffæorum Sacello
 ad S. Mariam supra Minervam.

§. XCVI.

Cardinalis Salviati extrema.

Alter ex Cardinalibus hoc item anno
 defunctis erat Joannes Salviatus Flo- *Ciacon.*
 rentinus ex Jacobo Salviato, & Lucretia *p 406.*
Ughel in
 X x 2 *Medi- Ital. Sacra*

Sæcul. XVI. Medicæa Leonis Papæ sorore Anno mil-
 A.C. 1553. lesimo quadringentesimo nonagesimo die
 vigesima quarta Martii natus. Hic vir
 Ruberes hist. vigesimum septimum ætatis annum at-
 Raven. tegerat, cum Protonotarii Apostolici mu-
 S. Marth. nere functus ab eodem Pontifice Mense Ju-
 Gall. Christ. lio Anno post Christum natum millesimo
 Paul. Jov. quingentesimo decimo septimo purpura
 hist. l. 25. decoraretur, obtento titulo SS. Cosmæ
 & Damiani. Is ex Salvatorum Fami-
 lia primus Cardinalium Collegio ad-
 scriptus subinde pluribus Episcopatibus
 præfuit; nam rexit Ecclesiam Ferra-
 riensem, Firmanam in Piceno, Vola-
 teranam in Etruria, Tranensem in Apu-
 lia, S. Severini in Calabria, ac juxta
 nonnullos Scriptores etiam Fanensem,
 necnon Theanensem in Campania Felici,
 & Bitontensem in Neapolis Regno, nec
 minus variis negotiis sibi injunctis ma-
 gnâ ubique nominis sui famam sibi
 comparabat; primo enim Parmam, ac
 regnante Clemente VII. Placentiam,
 postea vero in Gallias ad Franciscum I.
 Regem ablegabatur, ubi, cum Roma-
 nam urbem a Cæsareo milite expilatam,
 captumque Pontificem Anno Christi
 millesimo quingentesimo vigesimo sep-
 timo intellexisset, nil intentatum reli-
 querat, ut Regem ad Sedis Apostolicæ,
 ac Christi Vicarii inique vexati defen-
 sionem stimularet. Nec inanis erat ejus-
 dem

dem conatus; ab eodem enim Rege pro ^{Sæcul. XVI.} Sancti Popoli, Biterrensi, Olorensi, ac ^{A. C. 1553.} Vasionensi Episcopatibus juxta non nullorum relationem nominabatur. Postea ex Sacri Collegii consensu in Hispaniam ad Carolum V. pro pace impetranda destinabatur; verum consulto hanc legationem obire recusabat, ne ad Romanæ Ecclesiæ dedecus forte a Cæsare detineretur. Porro sub Paulo III. ex Cardinale Diacono Presbyteris accensus Albanensem, Sabinum, & Portuensem Episcopatum obtinuit, a Julio tertio autem deputabatur, ut sanctam D. Pauli portam anno Sacro aperiret. Intererat quoque comitiis, in quibus Adrianus VI. Clemens VII. Paulus III. & Julius III. summi Pontifices creabantur; quinimo, defuncto Paulo III. Salviatus ad summi Pontificatus apicem abs dubio eventus fuisset, nisi Carolus V. Cæsar ejus electioni obstitisset. Denique die vigesima octava Octobris Ravennæ non sine communi omnium piorum luctu apoplexia tactus decessit: præcipue vero illius obitum deplorabant Literati, qui Mœcenatem oppido liberalem, ac Protectorem beneficum amisere, eidemque vivo plura ingenii sui monumenta nuncuparunt. Delatum erat corpus ejus Ferrariam, atque in Ecclesia Majori sepultum, ubi quinquagesimo tertio post

Sæcul. XVI. anno Estensis Cardinalis, & Joannes Fontana Ferrariensis Episcopus prope Urbani III. Sarcophagum eidem magnificentum monumentum erigi curarunt.

§. XCVII.

*Cardinalis Pighini fatum.**Ciaton.**p. 776.**Ughel. l. c.**Pallav. l. 10.**c. 15. n. 1.**l. 11. c. 2.**n. 6. c. 8.**n. 6. lib. 11.**c. 13. n. 1.**Es a libi.*

Eodem hoc anno inter Cardinales tertius vivis ereptus est Sebastianus Pighinus, seu Pelginus natione Italus, patria Rhegiensis. Is primo Capuæ Canonicus, Rotæ Auditor, ac Pauli III. ad Carolum V. Cæsarem legatus nominabatur, & postea Alifanensi Episcopatu donabatur: inde autem Anno Domini millesimo quingentesimo quadragesimo ad Ferentinensem translatus, rursus ad eundem Imperatorem a Julio III. Papa Legatus decernebatur. Post hæc Anno reparatæ salutis millesimo quingentesimo quinquagesimo ab eodem Pontifice Archiepiscopus Sipontinus, & tertio demum anno Adriensis Episcopus renuntiatus est: cum vero sub eodem Papa Synodus Tridentum revocaretur, unacum Aloysio Lippomano Veronensi Episcopo illuc missus est, ut ibi unacum Cardinale Crescentio præfideret, ubi etiam, cum idem Crescentius morbo correptus Sessioni decimæ sextæ die vigesima sexta Aprilis celebratæ præesse haud posset, Pighinus ejusdem vices agens

agens Synodum ob bellum a Protestan-
 tibus Cæsari denuntiatum, esse dissolven-
 dam annuntiabat. Eo tamen tempore
 nondum tredecim illis accensebatur Car-
 dinalibus, quos Julius die vigesima No-
 vembris creaverat, eoquod illum Papa
 in pectore, ut inquit, reservasset, &
 primum feria secunda die vigesima Maji
 Anno supra millesimum quingentesimo
 quinquagesimo secundo eundem tan-
 quam Cardinalem declararet, ut proin-
 Pighinus nequidem decimum octavum
 Cardinalatus sui Menssem expleret, mor-
 tuus anno sequenti die prima Decembris,
 cum nonnisi quinquaginta tres annos,
 duos Menses & quinque dies vixisset.
 Sepultus est in Templo S. Mariæ de Po-
 pulo, ubi ipsius legitur elogium mar-
 mори insculptum.

Sæcul. XVI.
 A. C. 1553.

§. XCVIII.

Cardinalis de Cupis mortuus.

Quartus, ac postremus erat Joannes
 Dominicus de Cupis patria Roma-
 nus, ac Vaticanæ Ecclesiæ Canonicus.
 Hic juris utriusque studio indefessam
 impendens operam, brevi celeberrimus
 evasit Jurisconsultus, suaque scientia
 tantam sibi famam comparavit, ut plu-
 res Pontifices sua eum dignarentur ami-
 citia, ac in pluribus negotiis ejus mi-
 nisterio uterentur. Is præprimis Pro-

Ciacon.
 p. 347.
 Aubery &
 Ughel l. c.
 Joan. Bapt.
 Adrian. in
 hist.



Sæcul XVI
A. C. 1553.

tonotarius Apostolicus, atque Adri-
nensis Præful renuntiatus, dein etiam
Montis pelusii, Neritonensem, Recina-
tensem, Maceratanam, & Camerinen-
sem Ecclesias administrabat, & tandem
in Tranensem Archiepiscopum eligeba-
tur. Porro cum præclara admodum ob-
sequia sub plurium Pontificum regimi-
ne Ecclesiæ præstitisset, hinc in grati-
tudinis præmium a Leone X. Papa Car-
dinalium Collegio adscribebatur, eo
tempore, quo præfatus Pontifex die vi-
gesima sexta Junii Anno Domini mille-
fimo quingentesimo decimo septimo tri-
ginta, & unum Prælatos purpura do-
naverat. Obtinebat Dominicus primo
titulum S. Joannis ante portam Lati-
nam, eo autem relicto Ecclesiæ S. Apol-
linaris, ac demum S. Laurentii in Lu-
cina adscribebatur, quem etiam titulum
semper conservabat, vulgo Tranensis Car-
dinalis appellatus, eo quod tum Trani
Archiepiscopus esset. Obibat Anno a
Christi Nativitate millesimo quingen-
tesimo trigesimo septimo Legationem
in Marchia Anconitana, sequenti au-
tem anno Tiburensem civitatem guber-
nabat, & dein ex Archi-presbytero
S. Joannis in Laterano Cardinalium
Decanus creatus Galliarum Regis ne-
gotia in Curia Romana procurabat.

§. XCIX.

§. XCIX.

Hic Cardinalis suum erga D. Ignatium odium in amicitiam commutans.

Præcipue hic idem Cardinalis suam beneficentiam largiter in D. Ignatii Societatem extendebat, eandemque singulari amore semper prosequabatur, postquam eidem conciliatus fuerat; prius enim sese huic instituto adeo vehementer opponebat, ut etiam, cum hosce Patres frequentius ad Quirini Garzonii Nobilis Romani, ac præcipui eorum Fautoris ædes divertere intelligeret, eundem gravibus verbis objurgaret, & omnem ei necessitudinem cum D. Ignatio interdiceret: cum autem Garzonius eidem reposuisset, consulto se jam dudum in Patrum facta, dictaque omnia inquisivisse, neque tamen aliquid aliquando potuisse deprehendere, quod non magnopere cum Christiana pietate, moribusque congrueret, mox Cardinalis exclamans, *circumventus es*, inquit, *Quirine, horum præstigiis, nec mirum; Lupum enim aperte invadentem nemo non agnoscit, & fugit; ast ovium specie blandientem quis observet, & caveat? ignoras tu videlicet, quæ de istorum hominum flagitiis ego ipse comperi: non sunt*

sæcul. XVI sunt isti profecto, quales tibi cogitatione
A.C.1553 depingis.

Perturbavit haud parum Quirini animum hæc tanti Cardinalis oratio, quapropter e vestigio Ignatium convenit, eidemque omnem Cardinalis sermonem, ac sententiam exposuit: ast Vir sanctus hujus Cardinalis studium deprædicans agebat, quod Cardinalis haud immerito illos, de quibus sinistram haberet, opinionem, evitari præcipiat, mox vero Quirino hæc respondit: „Bono animo „esto Quirine; brevi exuet hunc Cardinalis errorem, quem ei seu malevolum calumnia injecit, seu rerum attulit ignorantia, totamque iste animi opinionem temere susceptam, pari studio, ac benevolentia commutabit; nos „autem interim rem Deo precibus committimus. Tu interim mihi præstos, ut Cardinalem adire, eique colloqui valeam.„ Ergo Garzonius Cardinalem, ut Ignatium accerferet, obsecrat, idque, ægre licet, obtinet, unde Ignatius ad ejus cubile admissus non modo sinistram de suis opinionem ademit, sed etiam illius amicitiam sibi devovens recessit. Obiit Cardinalis hoc anno, ut refert Ciaconius, die decima Decembris.

S. C.

Sæcul XVI.

A. C. 1553.

Francisci Titelmani mors.

Inter Scriptores Ecclesiasticos, quibus præsens annus exitialis fuit, primo loco venit Franciscus Titelmanus Hasselleti in Leodiensi Episcopatu natus. Hic FF. Minorum institutum professus in monasterio Lovaniensi Philosophiam, Theologiam, Sacrasque Literas longo tempore tradebat, & postea Romam profectus relicto Franciscanorum habitu Anno Christi millesimo quingentesimo trigesimo quinto, aut juxta alios trigesimo septimo ad PP. Capuccinos ea mente transibat, ut totum se orationis studio, ac pauperum infirmorum auxilio devoveret. Verum Vicarius Provinciæ suæ creatus Asculi prope Romam, ut existimat Miræus, die duodecima Septembris Anno Domini millesimo quingentesimo quinquagesimo tertio vivis ereptus est. Eminebat is eruditionis ubertate, atque in Philosophiæ, & Theologiæ scholasticæ, quam inter Fratres Minores tradebat, scientiis longe versatissimus celebrabatur: ex illis vero operibus, quæ typis excudi curabat, præcipua sunt Paraphrases, atque annotationes in plures S. Scripturæ libros, præcipue in Jobum, Psalmos, Cantica Cantorum, Ecclesiasten, D. Matthæum, S. Joan-

Bellarmin.
de Script
Eccl. Zacch.
Bov. de an-
nal. Capucc.

Dupin Bibl.
des Auth.
tom. 19. edit.
Holl. p. 1.

Sæcul. XVI.
A.C. 1553

S. Joannem, necnon in epistolas D. Pauli, atque in Canonicas epistolas: cum autem Hebraici, Græcique idiomatis optime gnarus esset, cunctos hosce libros per paraphrases, notasque ad explicandum textum per commodas interpretabatur, quin tamen a Vulgata recederet, sed exacte eidem sese accommodaret, scriptaque apologia illius integritatem vindicaret. Scripsit insuper *colationem in epistolam D. Pauli ad Romanos* contra Erasmum, & Fabrum Stapulensem, ex quibus prior contra hunc Virum æque, ac Gilbertus Cognatus indigno prorsus modo calamum suum stringere non erubuit. Reliquit etiam posteris Titelmanus tractatum I. *de auctoritate Apocalypseos D. Joannis*; II. *Summam Mysteriorum Fidei Christianæ*. III. *Expositionem cæremoniarum Officii Missæ* IV. *Meditationes sacras pro cordis in Deo constabitione*; V. *de SS. Trinitate* VI. *Orationem de præmatura morte bonorum* VII. *Scholia in Arnoldum Carnotensem de septem Verbis Domini in Cruce*. Cuncta hæc opuscula typis impressa prodierunt.

§. CI.

Adamus Sasboldus mortuus.

Alter erat Adamus Sasboldus ex illustri Senatorum familia Delphii Anno Sal-

Salvatoris nostri millesimo quingentesimo decimo sexto natus, qui Anno Christi millesimo quingentesimo quadragesimo quarto S. Francisci Alumnus Lovanii aggregatus, nono post anno die prima Decembris hoc anno millesimo quingentesimo quinquagesimo tertio nonnisi triginta septem circiter annos mortalitatem exiit. Recensentur inter ejus opera I. commentarii in quatuor libros Sententiarum, II. in Prophetam Jsaïam, III. tractatus *de variis Scripturarum sensibus*, IV. Commentarii in præcipuas D. Pauli, nec non D. Petri, & S. Judæ epistolas. V. Homiliæ, tresque sermones in illa Leviticorum verba: *eritis mihi Sancti*. Edidit quoque sermonem de vera Ecclesia, exstant que cuncta hæc opuscula Coloniensibus literis Anno millesimo sexcentesimo sexagesimo octavo excusa. Ceterum Auctor presse D. Augustini, ac S. Thomæ vestigiis inhærebat, ejusque commentarii plus Theologiam, quam artem criticam redolent: id tamen jure merito in ejus laudem tribui potest, quod nullius frugis quæstiones refecet, solideque textuum explicationi immoretur. Nec tamen desunt Scriptorum nonnulli, qui Sasboldi commentarios adscribant Joanni Hasselio Lovaniensi Professore, qui anno Domini millesimo quingentesimo quin-

Sæc. XVI.

A C. 1553.

Dupin. p. 2.

Sæcul XVI. quinquagesimo primo in Synodo Tri-
 A.C. 1553. dentina Mense Januario fati cessit, is
 tamen longe diversus est Auctor ab alio
 Joanne Hasselio, cujus alibi memini-
 mus.

§. CII.

Claudii Guillaldi obitus.

Ad idem quoque tempus referri potest
 obitus Claudii Guillaud, seu Guil-
 laldi Bellojovii ad Ararim prope Lug-
 dunum nati; quo autem anno deceffe-
 rit, ignoratur. Is Parisinæ Facultatis
 Theologicæ Doctor, Canonicus, atque
 in Augustodunensi Canonicorum Col-
 legio Professor in duos Evangelistas Mat-
 thæum, & Joannem commentatus est,
 nec non explicationem in D. Pauli, ca-
 nonicasque epistolas, sub nomine *colla-
 tionum* scripsisse, ac typis vulgasse dici-
 tur. Horum primi commentarii Pari-
 siense prælum eo adhuc in vivis agen-
 te Anno Christi millesimo quingentesi-
 mo quinquagesimo, ac postea Anno mil-
 lesimo quingentesimo sexagesimo secun-
 do reliquere, ceteri vero ejusdem com-
 mentarii Anno Salutis nostræ millesimo
 quingentesimo quadragesimo quarto,
 necnon quarto post anno typis vulgati
 fuere. Ceterum Auctor in hisce suis
 operibus haud aliam impendit operam,
 nisi ut Sanctorum Patrum, aliorumque
 inter

Sæcul XVI.
A.C. 1553.

interpretum explicationes literali sensui magis congruas colligeret, in omnibus vulgatæ textum secutus, licet quandoque ea, in quibus Græcus textus discrepat, observaverit, atque Erasmi versione usum illam in margine sedulo annotarit. Ceterum literali sensui insistit, eaque loca, quæ ab Hæreticis in perversum sensum fuere detorta, paucis verbis explicat, significans, quale sit Ecclesiæ dogma, sensusque orthodoxus. Scripsit pariter pro jejunio verno quasdam Homilias Parisius Anno Christi millesimo quingentesimo sexagesimo impressas.

§. CIII.

Rivii Lutherani, & alterius Rivii Augustiniani fata.

Hoc eodem anno inter Hæreticorum Theologos præprimis recensendus venit Joannes Rivius Lutheri Sectator, in Germania Athendori exiguo Westphaliæ oppido Comitibus de Schwemburg obnoxio natus. Hic supremum diem clauserat Misniæ anno ætatis suæ centesimo, postquam primum Colonia, dein post Georgium Agricolam Zwicaviæ, postea Annebergi, ac tandem Misniæ, ab Henrico Saxone Mauritii Septemviri Patre evocatus, pueritiæ, ac juventuti instituendæ sedulam operam totos

Thu. Hist. lib. 12. Pantaleon prosopog. part. 3. Melchior Adam in vita Theol. Germ.

Sæc. XVI. totos viginti quinque annos impendisset.
A.C. 1553. Erat etiam Augusti Electoris, qui de-
 functo Mauritio successerat, Moderator,
 necnon Georgio Saxonix Duci a con-
 siliis, cum vero aulæ tumultum pertæ-
 sus esset, Misniensis Collegii Rector no-
 minabatur, ubi Theologiæ studio im-
 pense vacans plura ejusdem generis opu-
 scula scripsit, ex quibus præcipue cele-
 brantur I. tractatus de restauranda Ec-
 clesiæ disciplina, II. tres libri de con-
 fidentia, III. unus liber de spectris, &
 apparitionibus umbrarum, IV. de cer-
 tamine Christiano, V. de vita, & mo-
 ribus Christianorum, VI. liber de Spi-
 ritu familiari, seu de Angelorum præ-
 sidio: insuper scripsit octodecim Gram-
 maticæ libros, unacum Dialectica, &
 Rhetorica. Omnia hæc opuscula ab Opo-
 rino in unum volumen fuere collecta.
 Ceterum hic Rivius probe distinquen-
 dus venit ab alio ejusdem nominis Joanne Rivio Lovaniensi Fratrum Eremitarum D. Augustini Alumno, qui D. Augustini vitam quatuor libris comprehensam, atque ex ejusdem S. Patris operibus, aliisque coævis Auctoribus excerptam evulgavit, indeque prorsus elegans Historiæ Ecclesiasticæ monumentum posteris reliquit, nec minus edidit etiam tractatum de Scriptoribus sui Ordinis præter quasdam Panegyres. Erat

is

is vir ingenii acie, atque eruditionis Sæcul. XVI.
 amplitudine celeberrimus, necnon ad A.C. 1553.
 libros puro, & eleganti stylo elaboran-
 dos aptissimus.

§. CIV.

Jacobi Sturmii extrema.

Pariter Jacobus Sturmius, quem non-
 nulli Germanæ Nobilitatis decus Sleid. comm.
 appellant, febris quartana confectus Ar- l. 25. p. 935.
 gentinæ in patria sua hoc anno die tri- Thu. l. 12.
 gesima Octobris decessit, postquam cir- Melchior
 citer sexagesimum quartum ætatis suæ Adam l. c. &
 annum expleverat; primam enim lu- in vit. Ju-
 cem aspexerat Anno Incarnationis Do- risc p. 61.
 minicæ millesimo quadringentesimo & seq.
 octogesimo nono. Hic obsequiis patriæ
 suæ præstitis magnum sibi nomen com-
 parabat, atque ibidem præclaris ad-
 modum dignitatum honoribus inter Se-
 natores decorabatur, publicisque mu-
 neribus non sine ingenti dexteritate,
 morumque probitate functus plures et-
 iam Legationes gloriose obibat, non
 modo ad Imperii Comitia, sed etiam ad
 Cæsarem, & Angliæ Regem deputatus.
 Conferebat autem plurimum ad Reli-
 gionis mutationem, qua Argentinenses
 Anno Christi millesimo quingentesimo
 vigesimo octavo ab avita fide recesserunt:
 insuper suis consiliis tantum effe-
 cerat, ut hujus urbis Magistratus de-

Hist. Eccles. Tom. XLI. Y y cimo

Sæcul. XVI.
A.C. 1553.

cimo post anno Academiam, seu Collegium erigeret, illiusque Curam Sturmio demandaret: Denique perutilem contulit operam Joanni Sleidano in concinnanda sua Historia; nam hunc tam suis consiliis, quam traditis commentariis plurimum juvabat, ut ipsemet Sleidanus in sua epistola nuncupatoria his verbis fatetur: *Intervenit vere nobilis, & præclari viri, Jacobi Sturmii, subsidium, & opera, qui per annos amplius triginta versatus in publicis, & arduis negotiis, maxima cum laude, cum sua me non dedignaretur amicitia, quæ fuit ipsius humanitas, dubitantem, & hærentem aliquando in vadis, atque scopulis, peritus ipse gubernator, subinde reduxit in viam æquabilem, minimeque salebrosam, & majorem operis partem, ante morbum, quo sublatus interiit, meo rogatu perlegit, & quorum oportuit, diligenter admonuit.* Referunt nonnulli, Sturmium per plures annos cœnam Lutheranorum more sumere recusasse, eo quod altercationibus, quibus Ministri inter se circa sensum horum verborum: *Hoc est Corpus meum:* collidebantur, graviter offenderetur.

§. CV.

Joannis Dubravii Skalæ obitus.

Joan-

Joannes Dubraw, seu Dubravius Skala, Sæcul. XVI.
A.C. 1553.
 J celebris Bohemiæ Patriæ suæ Histo-
 ricus Pelsinæ haud ignobili ejusdem
 regni oppido natus ex Familiæ suæ co-
 gnomine Skala vocabatur, postquam
 vero equestri dignitate auctus, atque in
 Nobilium numerum Regio diplomate
 esset accensus, tum primum Dubra-
 wiski nomen ex vetustissimo quodam
 Moravorum genere mutuabat Hic
 idem in Italiæ Gymnasio eam operam
 literis navabat, ut in jurisprudentia Do-
 ctoratus lauream emeretur: inde vero
 reversus Stanislao Olomucensi Episcopo
 semper a consiliis, rebusque gerendis
 præsto fuit, imo etiam ejusdem quo-
 que copias, cum Vienna a Turcis cin-
 geretur, ducebat. Insuper præclara ad-
 modum obsequia Ferdinando durante
 bello præstitit, ac Bohemorum seditio-
 nem sedavit: quibus rebus prospere per-
 actis populares suos in Principis juste in
 eos commoti gratiam reducebat, unde
 in laboris sui præmium a Ferdinando
 ad Olomucensem Episcopatum defuncto
 Zanbeck Stanislai Successore nomina-
 batur, eamque Ecclesiam summa pru-
 dentia, ac morum probitate regebat,
 sui que muneris sollicitudinem ad pro-
 fana extendebat negotia; nam primo in
 Silesiam, & postea in Bohemiam ab-
 legabatur, nec minus renuntiabatur Præ-

Sæcul. XVI. A.C. 1553. ses Curiaë, quæ ad inquirendos rebel-
les Schmalcaldico bello implicitos con-
stituebatur. Scripsit etiam *Historiam*
Bohemicam triginta tribus libris com-
prehensam. (*)

§. CVI.

Joannis Baptistæ Egnatii extrema.

Thuan. l. c.
Vossius de
hist. Latin.
Gesner &
Possevin
Bibl.

Hoc item anno Joannes Baptista Egna-
tius die quarta Julii anno ætatis
suæ octogesimo naturæ debitum solvit.
Hic Venetiis natus ibidem Angeli Po-
litiani Magisterio usus humaniores lite-
ras discebat, easque indefesso studio
postea longo tempore tradebat, nec-
non instituendæ juventuti adeo aptum
sefe reddebat, ut ætate declivis, cum
inter emeritos recenferi peteret, hanc
gratiam obtinere non posset, eoquod id
in grave studiosorum damnum cedere,
Senatus existimaret: tandem cum de-
crepitæ ætatis esset, optatam publici
sui muneris abdicationem impetrabat,
atque a Venetorum Republica in præ-
stiti

(*) Cum Continuator hujus Viri obitum
referre oblitus fuerit, hæc adjungenda viden-
tur: *Obiit apoplexia tactus anno Salutis mil-
lesimo quingentesimo quinquagesimo tertio, die
decima octava Septembris: Hæredem scripsit
ex Sorore Nepotem Wenceslaum Dubratuis-
kium.*

stiti obsequii compensationem eam gra-
 tiam est consecutus, ut deinceps, licet
 suo officio defunctus esset, eodem ta-
 men stipendio, quod antea docendo me-
 ruerat, quotannis donaretur, ejusque
 bona ex decemviralis Consilii decreto
 a publico censu eximerentur. Tandem
 multo senio gravis, sacroque Presby-
 teratus ordine initiatus latine succincto
 sat calamo a Julio Cæsare usque ad Con-
 stantinum Palæologum, necnon a Carolo
 Magno usque ad Maximilianum hujus
 nominis primum vitas Imperatorum con-
 scripsit, quod opus postea primo a Go-
 defrido Tory Bituricensi, & postea a
 Maroleonsi Abbate Gallice redditum fuit,
 ac prima versio Parisiis Anno Domini
 millesimo sexcentesimo vigesimo nono,
 altera vero Anno Salutis millesimo sex-
 centesimo sexagesimo quarto typis im-
 pressa prodiit. Elucubrabat pariter Egna-
 tius tractatum de origine Turcarum,
 necnon novem libros exemplorum de
 viris illustribus Reipublicæ Venetæ. At-
 tamen postremum hoc opus non nisi post
 Auctoris obitum typis evulgatum fuit,
 quinimo ipsemet Auctor, ultima manu
 eidem necdum admota, jam morte præ-
 veniebatur. Ceterum oris facundia ma-
 gis præstabat, quam calami elegantia,
 unde raræ ingenii sui dotes longe cla-
 rius in suis prælectionibus, quam libris

Sæc. XVI.
A.C. 1553.

emicuerunt. Porro morti proximus sua bona, ac copiosam librorum supellectilem tribus amplissimis Veneti sanguinis Familiis Molinanzæ, Lauredanzæ, & Bragadenzæ testamento reliquit, eaque in hæreditate magno numero veteris ævi nummi tam aurei, quam argentei numerabantur.

§. CVII.

Septendecim Propositiones a Parisina Facultate Theologica damnatæ.

*Argentre
Collecti Jud.
append. t. I.
p. 19.*

Exstant pariter quædam censuræ, quibus Facultas Theologica Parisiis nonnullas propositiones novis erroribus faventes intra hujus anni spatium perstrinxerat, & quidem prima ex his censuris pronuntiabatur die prima Julii contra librum, cui titulus: *Congregatio die Sabbati decima octava Decembris Anno millesimo quingentesimo quinquagesimo primo habita.* In hoc libro de electione Dei agebatur, atque ex eo septendecim depromebantur propositiones, quarum quævis prius facta totius omnino libri proscriptione, sigillatim sua censura notabatur, eoquod hic plures propositiones erroneas, schismaticas, hæreticas, Blasphemias, & injurias contineret, ac ipse Auctor Sacras literas in reprobum sensum non sine offensione piarum aurium detorqueret.

§. CVIII.

§. CVIII.

Sæcul. XVI.
A. C. 1553.

Alia sententia contra quemdam Carmelitam nomine Nicolaum Harnoy's lata.

Altera censura ferebatur die duodecima Julii, qua Facultas in Sorbonico Collegio congregata Nicolaum Harnoy's Ordinis Carmelitarum prima Doctoratus laurea decoratum interrogare, atque excipere parabat. Jubebatur is comparere, atque ad quæstiones ipsi proponendas respondere ob quasdam propositiones, quas de Beatissimæ Virginis Mariæ, & Sanctorum cultu nec non de precibus pro defunctis enuntiasse accusabatur: igitur Facultas ab eo sciscitabatur, an velit sese illius decreto subjicere? qui respondit: „Volo parere facultati, in quibus teneor, sed quoad negotium præsens vix possum me subjicere vestro judicio, quia estis partium studiosi; his accedit, quod fieret injuria judicibus, qui me tanquam innocentem absolverunt.“

Argentre ib. p. 19. & tom. 2. p. 211.

Cum vero eidem exhiberetur quoddam Scriptum ipsius chirographo munitum, quo sese Facultati submissurum sponderat in quibusdam articulis, in quibus erat ad facultatem delatus, insuper cum interrogaretur, an propriam manum, & propriam syngrapham agno-



Sæcul. XVI.
A.C. 1553.

sceret, respondit: Ego sum horum immemor. Post hæc de pluribus aliis rebus in quæstionem vocatus respondit; rem maturius perpendendi spatium, ne forte fallar, mihi indulgeri postulo: Porro cum in omnibus suis responsis ingen-tem proderet arrogantiam, ipsamque Facultatem de partium studio suspectam insimularet, seque calumniis opprimi contenderet, Facultatis Decanus pronuntiabat, illum a dicta Facultate tamdiu exclusum iri, donec eidem pareret, quæ etiam sententia ipso præsentente lata fuit.

Postmodum Doctoribus die decima septima Julii congregatis Decanus hæc proposuerat: „Pater Vicarius Ordinis „Carmelitarum, & aliquot alii de dicta „domo venerunt ad me, & petierunt „ut duo ex præfato Conventu Carmeli- „tarum ex una parte, duo autem de „Facultate Theologiæ ex altera elige- „rentur, & adderetur quintus ex con- „sensu partium, qui quinque determi- „narent de negotio Harnoy Licentiatum „& decernerent, ac concluderent, an „admitteretur ad Doctoratum.,

Verum Doctores omnem reconcilia-
tionis viam inire respuentes iudicio
nuper lato institere. Ergo Nicolaus Pa-
risiensi Curix libellum supplicem por-
rigere cogitur, attamen mox Facultas
per

per suum Advocatum opponebat, quod Sæcul. XVI. A C. 1553.
 ipsamet sui muneris partes integre ex-
 pleffet, rogaretque, ne in hoc nego-
 tio, quod juxta leges, & avitam con-
 suetudinem a Regia Curia approbatam
 decidere vellet, impediretur, quapropter
 Parisiensis Curiae Patres hujus causæ
 cognitionem in se suscipere recusabant.

§. CIX.

*Tredecimpropositiones Fratris Ægidii
 Multoris Augustiniani pro-
 scriptæ.*

Die decima quinta ejusdem Mensis Argentre tom. 1. ap- pend. p. 19. tom. 2. p. 212.
 Julii Facultas Sorbonnæ rursus con-
 gregata Sacro solemniter peracto trede-
 cim damnabat propositiones, quas Ægi-
 dius Multor Ordinis Fratrum Eremita-
 rum alumnus enuntiasse accusabatur,
 quasque Parisiensis Senatus Facultati
 examinandas committebat. Porro pro-
 positiones erant sequentes. „Homo per
 „solam fidem, non autem per opera sal-
 „vatur. Hæc propositio damnabatur,
 „ut hæretica. II. Nullatenus tuis confide
 „operibus; sola enim fides te salvum
 „facit: hæc itidem doctrina hæretica
 „esse declarabatur. III. Nullum datur
 „meritum in hoc mundo, præter me-
 „ritum Christi: hæc rursus propositio tan-
 „quam hæretica rejiciebatur. IV. Ba-
 ptiza-

Sæc. XVI.
A.C. 1553.

„ptizatus damnari nequit. Hæc eadem
 „perstringebatur censura. V. Meritum
 „Christi expiat omnia, & Baptizatus,
 „cum habeat fidem, damnari non pot-
 „est. Secunda hujus propositionis pars
 „tanquam hæretica proscribatur VI.
 „Illi, qui prædicant, quod Charitas bene
 „ordinata a seipsa incipiat, infauftam
 „hanc doctrinam ex imo inferni haufe-
 „runt, ac pessime talia ad populum di-
 „cunt. Hæc propositio notabatur tan-
 „quam temeraria, hæretica, execranda,
 „atque auditu indigna. VII. Vera con-
 „fessio in eo consistit, quod peccator
 „juxta Filii Prodigii doctrinam Patrem
 „cælestem accedat. Hæc propositio,
 „quatenus Confessionem Sacramentalem
 „excludere videtur, de hæresi est su-
 „specta. VIII. Multor de cultu Sanctis
 „debito loquens hæc effutiebatur. Recta
 „ad finem perge, nec hic subsiste: Chri-
 „stus Dominus unacum suo Sancto Evan-
 „gelio verus est finis: non ergo alibi mo-
 „rere. Hæc propositio, cum ad San-
 „ctos recurrere prohibeat, erronea di-
 „cebatur, ac Lutheri errori consona:
 „quatenus vero enuntiabat, nil præter
 „Verbum Dei esse recipiendum, ut hæ-
 „retica declarabatur. IX. Rursus idem
 „dicebat, orationem nostram, precesque
 „ad solum Christum, non autem ad
 „alios esse dirigendas. Hanc propo-
 „silio-

„sitionem esse erroneam, ac Lutheri Sæcul XVI.
 „hæresi infectam, affirmarunt Doctores. A.C. 1552.
 „X. Genevenses recipiunt Sacramenti
 „signum juxta S. Literas: idem ergo
 „cum eis credendum est. Hæc pro-
 „positio censebatur esse hæretica, exe-
 „cranda, impia, & Blasphema, eo quod
 „Genevensium, qui realem Christi præ-
 „sentiam negabant, hæresin approbet.
 „XI. Missæ Canon est maxima, quæ
 „excogitari potest, abominatio: qui
 „vero hunc Canonem confecere, erant
 „maligni, ac miseri homines. Hæc pro-
 „positio vere est abominanda, atque ab
 „Ecclesia, cunctisque Christianis exe-
 „cranda: XII. Ego, inquebat Auctor,
 „non recitabam Canonem, dum rem
 „divinam peragebam, eo quod res esset
 „omnium maxime detestanda. Hanc
 „propositionem, qua Auctor se hæreti-
 „cum declarabat, omnino esse devoven-
 „dam pronuntiabatur. XIII. Denique
 „hic idem Monachus quamdam fœmi-
 „nam alloquens, aiebat: melius est, ut
 „alvum tuum purges, quam quod ad
 „Missam curras: putant rustica hæc
 „animalia, quod sint damnanda, nisi
 „diebus Dominicis, & Festis Missæ in-
 „terfint. Hanc propositionem Facul-
 „tas tanquam falsam, impiam, & hæ-
 „reticam damnabat. „

In

Sæcul. XVI.

A.C. 1553.

In eadem Congregatione aliæ examinabantur propositiones, quæ in urbe Lucionensi ad populum dicebantur, earumque prima erat: „Per Sacramentum Baptismi homo non fit Christianus: Hæc propositio juxta sensum, quem præferebat, rejiciebatur ut hæretica. II. Christus Dominus est in Sacramento Altaris, sicut Sol est in inferioribus rebus per suam virtutem. Hæc propositio Sacramentariorum hæresin continere asserbatur. III. Sola infidelitas impedit effectum Sacramenti Altaris. Hæc propositio notabatur ut hæretica. His subjungebatur alia propositio pariter damnata, quam quidam Verbi Divini Præco his verbis enuntiabat: „Apostoli circa Sanctum Altaris Sacramentum erant quidem hæretici, sed non nisi per breve tempus, nec tamdiu, ac Berengarius, qui per triginta duos annos huic hæresi est immoratus. Hæc propositio declarabatur temeraria, scandalosa, Apostolis injuriosa, ac publice revocanda.

§. CX.

Aliæ ejusdem Multoris propositiones a Facultate censuris notatæ.

Eodem anno Parisiensis Senatus Procurator generalis ad Facultatem deferrebat Castalionis Biblia Basileæ Anno Domini

*Argentre
tom. 2.
p. 214.*

Domini millesimo quingentesimo primo Sæcul. XVI.
 typis impressa, quæ pariter die decimo A. C. 1553.
 septimo Julii fuere proscrip̄ta: die au-
 tem decima nona ejusdem Mensis Fa-
 cultas suum ferebat judicium circa quin-
 que propositiones a Burdegalensi Senatu
 ad Facultatem delatas: verum ex his
 nonnisi unica, eaque tanquam scanda-
 losa damnabatur. Postea die vigesima
 prima Julii Doctores denuo congregati
 exceperunt relationem illorum, qui depu-
 tabantur ad examinandas alias ejus-
 dem Multoris propositiones: porro ex
 his Facultas tres sequenti censura no-
 tabat. I. „Beatissima Virgo satis, super-
 „que est exaltata, proin non oportet
 „illam alio modo exaltare. Hæc Pro-
 „positio proscribatur ut schismatica,
 „ac Vigilantii errorem sapiens, ipsos-
 „que Christi fideles retrahens ab ho-
 „nore, ac laude, quam Beatissimæ
 „Matri Dei debent. II. Beata Virgo
 „nullum sensit dolorem in Passione sui
 „Filii. Hæc Propositio dicitur esse hæ-
 „retica. III. Hominum merita nil sunt
 „nisi dona Dei. Pariter hæc proposi-
 „tio rejiciebatur ut hæretica; licet enim
 „inquiunt Doctores, Dei gratia sit pri-
 „ma, ac præcipua meritorum nostro-
 „rum causa: secunda tamen causa est li-
 „berum arbitrium, & voluntas, ex quo
 „sequitur, quod merita non tantum ex
 „gratia Dei efficiantur. §. CXI.

Sæcul. XVI.
A.C. 1553.

§. CXI.

*Aliæ Propositiones a Burdegalenſibus
ſubmiſſæ, ac proſcriptæ.*

*Argentre
l. c.*

Die vigesima sexta Julii quinque ad-
huc aliæ propositiones circa merita,
& bona opera a Burdegalenſi Univerſi-
tate fuerunt delatæ, ac cenſuris per-
ſtriçtæ, earumque prima his erat con-
cepta verbis: „Homo in manu Dei com-
paratur penicillo in manu Pictoris. Id
hæreſin ſapere declararunt Doctores.
II. quantumcunque aliquis coram homi-
nibus ſit innocens, coram Dei oculis ta-
men eſt reus, ac æternæ damnationis
dignus. Hanc propositionem eſſe hæ-
reticam Facultas pronuntiat. III. Pro-
poſitio, in qua de Chriſti Sacrificio
affirmabatur, quod tollat maledictum,
& ſit ſatisfactio noſtra per ejus ſangui-
nem, declarabatur de Lutheri hæreſi
ſuſpecta, cum omnem ſatisfactionem
ex parte hominis excludere, ac pur-
gatorium rejicere videatur. IV. Tres
Perſonæ, quæ nonniſi unicus ſunt
Deus, ſunt totalis cauſa noſtræ ſalu-
tis. Hæc propoſitio dicebatur Lutheri
doctrinæ conſona, qua hominis co-
operatio negatur. V. Ideo Chriſtus
mortuus eſt, quia per ſolam provi-
dentiam, & Dei conſilium voluit, non
autem per hominum malitiam ejus
mors

„mors contigit. Hæc propositio nota-Sæcul. XVI.
 „batur, ut falsa. A. C. 1553.

§. CXII.

*Simeonis Romiglei propositiones
 damnatæ.*

Die prima Mensis Augusti sententia *Argentre*
 ferebatur in sex propositiones, quas *p. 215.*
 quidam Tolosanus nomine Simeon Ro-
 migleus in quadam publica disputatione
 apud FF. Augustinianos enuntiaverat,
 cum vero scholasticum hoc certamen in
 die festo, necnon in Ecclesia, & qui-
 dem eo tempore fuisset initum, quo di-
 vinum Officium celebrandum fuisset,
 hinc ipsa hæc concertatio declarabatur
 scandalosa: postea vero ipsæ propositio-
 nes sequenti censura notabantur I. Ani-
 ma ventus est, & pars materiæ. Hæc
 propositio rejiciebatur ut hæretica II.
 Circa summum bonum opinio Epicuri
 defendi potest: hæc propositio diceba-
 tur captiosa, & de hæresi suspecta. III.
Ex Pythagorica Metempsychosi colligi pot-
est suscitatio mortuorum. Ipsa illatio, in-
quit Facultas, est inepta, & mala,
propositio autem scandalosa. IV. Scientiæ
nil nisi quædam est reminiscentia. Hoc
 falsum, erroneum, & jam antea damna-
 tum fuisse pronuntiabatur. V. *Theolo-*
gia Christiana non indiget Etbnica. Id
 temerarie, ac non sine scandalo asseri
 in-

Sæcul. XVI. inquebant doctores VI. *Anima boni-
 A.C. 1553. nis est immixta materia.* Hoc esse hæ-
 reticum facultas adstruebat, & postea
 differebat examen alterius propositionis
 de mundo, quem Auctor fuisse ab æter-
 no propugnabat.

§. CXIII.

*Alicæ censuræ adversus quemdam La-
 vallengem Monachum Ordinis
 FF. Minorum.*

*Argentre
 p. 216.
 & seq.*

Sub idem tempus die septima Augusti
 Lavallengis in Cenomanensi agro Con-
 ventus Rector ex Ordine Fratrum Mi-
 norum ad Facultatem quinquaginta tres
 deferebat propositiones, quas unus ex
 suis Religiosis in præfata urbe publice
 ad populum proferebat. Insuper idem,
 ut vocant, Guardianus addebat testi-
 monia eorum, qui hujus Monachi ser-
 monem perceperant. Ceterum ex hisce
 propositionibus nonnullæ agebant I. de
 bonis, & reprobis in Ecclesia commix-
 tis, II. de conditione veri Christiani, III.
 de Canonisatione D. Thomæ Aquinatis,
 ejusque doctrina. IV. de discrimine ci-
 borum, V. de spei defectu in Aposto-
 lis: insuper nulli alteri, quam soli Deo
 cultum esse tribuendum, enuntiabat, &
 errores spargebat I. circa passionis Do-
 minicæ merita, II. circa Verbum Dei,
 cultumque Sanctorum, III. vota, IV.
 bona

bona opera, peccatorum remissionem. Sæcul. XVI.
A.C. 1553.
Præter hæc etiam Monachis manuum laborem esse necessarium statuit, egitque de Ecclesia, ejusque ritibus, atque aliis argumentis, quæ studiose omittimus, ne eandem rem repetere cogamur. Attamen omnes hæc propositiones variis perstringebantur censuris, earumque nonnullæ tanquam captiosæ, de hæresi suspectæ, erroneæ, Lutheri erroribus consonæ, Sanctis Patribus injuriosæ, scandalosæ, ac jam antea in Concilio Constantiensi proscriptæ damnabantur.

§. CXIV.

*Duo libri de Symbolo, & oratione
Dominica damnati.*

Die octava ejusdem Mensis Facultas *Argentore* duos libros Gallice scriptos, ac in ^{l. c. p. 219.} lucem editos proscribat, quorum ^{230.} primo titulus erat: *expositio Symboli Apostolici*, alter vero inscribatur: *explanatio orationis Dominicæ*. Ex primo horum operum extrahebantur tres propositiones, quarum prima hominem depingit tanquam rem inanimatam in Dei manibus. Altera respicit Christi Passionem, quæ non malitiæ hominum, sed Dei consilio adscribitur. Tertia affirmat, quod, quantacunque quis Sanctitate emineat, coram Deo tamen æter-
Hist. Eccles. Tom. XXI. Zz na

Sæcul. XVI
A C 1553. na fit damnatione dignus. Hi errores haud abfimiles erant illis, qui a Burdegalenfibus delati per Facultatem fuere damnati. Ex altero libro de explicatione orationis Dominicæ pariter tres depromebantur propositiones, quæ verfabantur circa fatisfactionis opera, & piarum actionum merita, quæ Auctor evertere nitebatur. Ceterum reperiuntur hujus cenfuræ quædam fragmenta in libro, qui Anno millesimo fexcentefimo fexagesimo primo Parifienfibus literis excufus prodiit fub hoc titulo: *Collectio Auctorum, qui Sacræ Pagina traditiones in lingua vulgari condemnant.*

§. CXV.

Alicæ cenfuræ contra plures libros a Senatu ad Facultatem transmissos pronuntiatae.

Argentre
t. 2. p. 220. Eadem Facultas die trigesima ejusdem Mensis Augufti fuam fententiam ferebat contra quofdam libros a Senatu Parifienfi delatos, quorum erant duo, eorumque primus nomen Claudii Despensii, titulum vero: *Paraphrasis, seu Meditationes in Orationem Dominicam* præfeferebat, alter vero infcribebatur: *Consolatio in adverfis.* Itaque Facultas declarabat, hosce libros, cum propositiones obfcuras, ambiguas, erroneas, ac de hærefi fufpectas contineant, effe

esse supprimendos. Postea tres Psalmo-
rum libri Gallice redditi, variisque in
locis editi examinabantur, ac sua no-
tabantur censura, cujus ratio hæc af-
fertur: *quia simplices ex rerum difficul-
tate in errorem facile possunt deducere,
insuper quædam ibidem continebantur,
in quibus Author non in omnibus La-
tinam, & ab Ecclesia receptam versio-
nem sequitur.*

Sæcul. XVI.
A.C. 1553.

Insuper eadem Facultas alium novi
Testamenti librum Gallice redditum pro-
scribent, eoquod erroribus scateret,
ac insuper a Vulgata recederet. Pari-
ter damnabatur Gallica operum Lactan-
tii versio, cum pluribus obnoxia esset
erroribus, quos rudes haud facile di-
scernere possent. Denique Decanus
supprimenda statuit quædam Biblia in
lingua Gallicam translata, eoquod
inter apocryphos temerarie rejicerent
quosdam libros Canonicos, & in Indice,
sive in Tabella continerent aliquas pro-
positiones scandalosas, erroneas, de
hæresi suspectas, & hæreticas, nec non
plerisque in locis recederent a Latina,
& recepta translatione.

Die sexta Septembris judicium jam
antea latum contra Claudium Despen-
sium confirmabatur, potissimum eo no-
mine, quod ejus expositio Orationis Do-
minicæ absque Facultatis consensu con-

Sæcul. XVI. tra edictum Regium fuerit typis vul-
A.C. 1553. gata. In eodem quoque confessu fan-
 citum erat, Regi libellum supplicem esse
 porrigendum circa Nicolai Harnois Car-
 melitæ causam, eo quod ille, ut me-
 minimus, ad Senatum provocasset.

§. CXVI.

*Alia censura circa potestatem laicam
 in dirigendis publicis supplica-
 tionibus.*

*Argentre
 p. 221.*

Eodem anno die decima quinta De-
 cembris Facultas Sorbonnæ congre-
 gata deliberabat circa causam Ecclesiæ
 Lavallensis, eo quod illa in Antiphona
 Beatissimæ Virginis *Salve Regina* plura
 immutasset; cum enim hæc Antiphona
 in quodam Sacello affixa exponeretur,
 a muro fuit detracta, eique alia subro-
 gata, in qua Christo Domino ea adscri-
 buntur, quæ Beatæ Virgini fuere at-
 tributa: nam præter alias mutationes,
 loco *Salve Regina Mater* dicebatur *Jesu
 Christe Rex*, & deletis postremis his
 verbis: *Virgo Maria*, substituebantur
 hæc: *Jesu filii Virginis Mariæ*, &c. At
 Facultas damnabat hæc immutationes
 tanquam temerarias, scandalosas, schis-
 maticas, ac honori Beatissimæ Virgi-
 nis derogantes, ipsumque Auctorem de
 hæresi suspectum reddentes.

Deni-

Denique die decima octava Decembris quatuordecim proscribebantur propositiones excerptæ ex sermonibus, quos Joannes Noel, seu Natalis ex Ordine Fratrum Prædicatorum Rothomagi ad populum dicebat: Harum prima erat. „Nunquam melius, quam hodierno tempore Evangelium prædicatur, uni- cuique etiam liberum est, imo & con- veniens, ut pro sua salute illud per- legat,„ Ad hanc propositionem ita inquit Facultas:

Prima pars est falsa, scandalosa, & temeraria; secunda vero periculosa, & perniciofa propter versionum corruptio- nem.

II. „Jesus Christus per mortem suam dedit singulis diebus quoscunque ci- bos comedendi facultatem, dummodo absit scandalum.,, *Hæc propositio ci- borum indifferentiam omni tempore a Christo datam affirmans, est falsa, in Christum, Ecclesiam, & Prælatos est contumeliosa, Evangelicæ, & Ecclesia- sticæ disciplinæ enervativa, Joviniani, Valdensium, & Lutberi hæresi con- spirans.*

III. „Præfules nil nisi monstra sunt, atque omnia suo fastu, avaritiâ, & si- monia pessumdederunt.,, *Hæc proposi- tio sic universaliter prolata, est scanda- losa, temeraria, & avertens a Superio-*

Sæcul. XVI. rum honore, reverentia & obedi-
A.C. 1553. tia.

IV. Tu Fulo, Lanifex, ac omnis homo, qui tuam salutem noscis, cur „non & tu Verbum Dei annuntias, quia „nos illud non prædicamus.„ *Hæc interrogatio innuens laicis passim prædicationis officium convenire, est scandalosa, schismatica, & auctoritati derogans Ecclesiæ.*

V. Rudis fœmina ex me sciscitabitur, nescio, quid credam? „nam hi „mihi dicunt, quod mors Christi non „salvet, alii autem oppositum affirmant: „ita pii homines dubiis pleni a sermonibus recedunt, & nec ipse scio, quid „tandem credamus, quid mundus credit?„ *Hic modus loquendi est diminutus, & auditores relinquit dubios super credendis.*

VI. „Ecclesia debet esse pauper, & „Christiano Regno adversa.„ *Hæc propositio errori Wiclevistarum est conformis, scandalosa, temeraria, & pernicioza.*

VII. „Ut Christianus suam salutem „operari valeat, necesse est. ut quivis „Sacras literas, & Evangelium legat, „& intelligat.„ *Hæc propositio est periculosa, pernicioza, & universaliter prolata, est erronea; sunt enim, qui nesciunt legere.*

VIII. Sa-

VIII. „Sacrae literae praeteritis tem-
 „poribus delitescabant, hodie vero de-
 „teguntur: nonnunquam Deus permit-
 „tit, ut haeresis ad procurandum ma-
 „jus bonum dominetur.„ *Prima pars*
est falsa, scandalosa, & temeraria; se-
cunda catholica.

„IX. Eadem perstringitur censura,
 „ac praecedens. X. „Cum Praesules
 „nec Evangelium, nec Verbum Dei
 „annuntiant, necesse est, ut illud opi-
 „fices praedicent. Haec propositio ei-
 „dem censurae, ac quarta subjicitur. XI.
 „Non sufficit, ut quis suam familiam
 „bene gubernet, oportet, ut nostram
 „quoque novam doctrinam calleat: Fa-
 „ber Serrarius, & Scriniarius melius,
 „quam nos, de Verbo Dei discurrent.„
Haec propositio quantum ad eam partem,
in qua meminit novae doctrinae e pbrasi
Lutberanorum, est suspecta de errore eo-
rundem Lutberanorum; quantum ad eam
partem, qua dicit laicos melius loqui de
verbo Dei, quam praedicatores, est scan-
dalosa, & temeraria.

„XII. Si vexaris, ne mireris; num
 „enim tibi mirum videtur, si Fulo me-
 „lius, quam nostri Praesules, Evange-
 „lium explicat? ita placuit Christo, ut
 „eorum insignes corruptelae, & avaritiae
 „manifestentur, quam in rem quadrat
 „textus Apocalypticus de magna bestia,

Sæcul. XVI „& de prostituta:„ *Prima pars præse-*
A. C. 1553. *tim collata cum propositione sequenti,*
conformis est phrasi Lutheranorum, cap-
tiose illos confirmans in suis erroribus,
taxans Judices, eosque avertens a pu-
niendis hæreticis: duæ vero reliquæ par-
tes ex comparatione abusiva scandalosa
sunt, temerariæ, & Ecclesiæ Prælati-
contumeliosæ.

„XIII. Habe patientiam, & haud
 „ultra miraberis: si tibi minæ inten-
 „tantur, & vexationibus opprimeris,
 „semper tamen invenies Patrem, &
 „Matrem, qui te in tuis adversis con-
 „solabuntur, & tibi purum Dei Verbum,
 „ut decet, proponent, nec te in tua in-
 „fidelitate relinquent.„ *Prima pars si-*
milis est primæ parti præcedentis propo-
sitionis; secunda pars est captiosa.

XIV. Loquitur de Sacerdotibus, at-
 que allegat Historiam cujusdam Regis,
 qui se idololatram fingens proclamari
 fecerat, quod idolis quadam die sacrifi-
 caturus esset: ast Sacerdotes mox eo
 confluentes, una omnes trucidari jussit.
Hæc propositio, in qua confert Idololat-
ras Sacerdotibus evangelicis, est captiosa,
Sacerdotibus injuriosa, & suspecta.

§. CXVII.

Sæcul. XVI.
A. C. 1553.*Exercitationum Sacrarum liber a D.
Ignatio conscriptus denuo in Hi-
spania impugnatus.*

Rursus hoc anno nova fuscitabatur tem-
pestatas adversus Spiritualium exer-
citationum librum, quem D. Ignatius
composuit; quippe Thomas Pedroccius
hunc librum ad Toletanos Inquisitores
in Hispania deferebat, plures exhibens
propositiones, quas ex hoc libro decer-
ptas affirmabat, illasque velut temera-
rias, piarum aurium offensivas, ac ma-
nifestis hæresibus repletas, necnon cen-
sura dignas denunciabat. Percepta hac
accusatione, auditoque Universitatis
Salmanticensis consilio tres nominantur
Doctores, qui librum examinarent, ac
desuper suum judicium ferrent. Hi
tres erant Alphonsus Vergara, Conchen-
sis Canonicus, Joannes Costa Doctor,
& Bartholomæus Torres, seu de Tur-
re, qui duo postremi postmodum ad Epi-
scopatus nominabantur, & prior qui-
dem Legionensis, posterior autem Ca-
nariensis renuntiabatur Episcopus. Por-
ro cum Bartholomæus in favorem ha-
rum exercitationum peroraret, ab ul-
teriori quæstione cessatum est, atque
ipsimet Inquisitores postea hunc librum
egregie a calumniis vindicabant.

*Orlandin
hist. Societ.
l. 13. n. 33.
Bouhours
vie de
S. Ignace
l. 3. 3. p. 374.*

Zz 5

§. CXVIII.

Sæc. XVI.

A.C. 1553.

§. CXVIII.

Papa contra Societatem vehementer commotus.

*Orlandin.
l. 14. n. 10.
Baillet vie
de S. Ignace
tom. 3. p. 451.*

Sub idem tempus D. Ignatio, ejusque Sociis alia impendebat tempestas, quam reputabant longe magis acerbam, ac erat illa, quæ in Hispania contra exercitationum librum conflata erat; cum enim juxta decretum a Concilio Tridentino editum Carolus V. Imperator sanxisset, ut omnes Sacris beneficiis intra Hispaniæ fines provisi ibidem residerent, illi, qui Romæ agebant, cum hoc mandatum eos præcipue respiceret, questum ad Papam ibant, exponentes, quod hæc Cæsaris molimina Sacræ Sedis juribus adversarentur: quinimo hi ejusmodi legi, cujus tamen promulgationem ipsimet, ut sui muneris præscripto satisfacerent, prævenire debuissent, adeo non absque indignatione sese submiserunt, ut etiam sua importunitate Papam eo adigerent, quatenus eorum querelis etiam suas indulgentius adjungeret, Ast Cæsar decreti sui æquitatem propugnans, illud Sacris Canonibus consonum esse respondit, qua tamen constantia sua magis, magisque Pontificis animum exacerbabat, cum is ægre ferret, quod sibi decisiones Concilii, cui ipse tanquam Legatus intererat, ac
proin

proin ejusmodi decreta noverat, Prin-
 ceps Laicus hac ratione obtruderet. Sæc. XVI.
A. C. 1553.
 Porro cum rumor spargeretur, quod hu-
 jus Cæsarei edicti Auctores essent Jesui-
 tæ, qui jamjam in hac aula pro summo
 imperio dominari cœperant, hinc Julius
 ira in eos accensus non sine indignationis
 suæ signis eos Palatio suo abesse jussit. Eo
 tempore Ignatius, qui vindicias forte a
 quodam Cardinale sperandas ipse facile
 supplere potuisset, periculoso morbo de-
 cumbebat, & cum summo Pontifice con-
 ferre præpediebatur: quocirca sua So-
 cietas hanc vexationem sufferre cogeba-
 tur, usquedum Ferdinandus Romano-
 rum Rex datis ad Julium Papam literis
 ab eo peteret, ut supremum Societatis
 Præpositum ad suum alloquium admit-
 teret, eoquod illi rem maximi momenti
 clam communicasset.

§. CXIX.

*Pontificis indignatio in Societatem
 concepta per Ignatii alloquium
 sublata.*

Hac via Ferdinandus summo Pontifici
 Divum Ignatium ad se accersendi Orland.
n. II.
 occasionem suppeditabat; unde etiam Vir Bouhours
 sanctus recuperata mox salute vocatus l. 5. p. 402,
& seq.
 Papam accessit, ab eodem perbenigne
 exceptus; cum enim Julius illum ob mor-
 bi violentiam viribus fractum cerneret,
 haud

Sæcul. XVI. haud quaquam permittere voluit, ut tecto
A. C. 1553. capite, aut flexis genibus loqueretur, sed
 ambo stantes inter se conferebant, sermo-
 ne præprimis converso ad Romanorum
 Regis mandata: cum autem Ignatius hac
 super re Pontifici plene satisfaceret, tan-
 dem orationem descebat ad suam So-
 cietatem, quam ab omnibus sinistris su-
 spicionibus latius tum sparsis tam pro-
 spere vindicabat, ut Julius in pristina,
 quam de Societate conceperat, pia opi-
 nione firmatus Ignatium de sua amicitia
 certum esse voluerit, hinc eidem luculen-
 tum suæ erga Collegium Romanum be-
 nevolentia specimen daturus, quotannis
 duo aureorum millia, aut Abbatiam pro-
 xime vacaturam spondit, & postea ab
 eodem sciscitatus est; an Professorum Do-
 mus necessariis esset provisa: respondit
 Ignatius, quod nulla re egerent, etsi ex
 collectis eleemosynis viverent, de cetero
 autem satis locupletes forent, dummodo
 de summi Pontificis benevolentia certi
 essent. Hoc responso captus Papa Præ-
 fulem, quem a Cubiculis habebat, advo-
 cans eidem in mandatis dabat, ut Igna-
 tio, quotiescunque alloquii copiam pe-
 teret, absque mora ingressum concedere-
 ret, etiamsi Papam cum Cardinalibus
 conferre nosset. Postera die Pontifex ele-
 mosinæ nomine ad Professorum ædes
 quingentos aureos trans mittebat.

§. CXX.

§. CXX.

Sæcul. XVI.

A. C. 1553.

*Sancti Ignatii scriptum de obedientia,
& Modestia.*

Cum Ignatius solerter animadverteret, *Bouhours*
 quod suorum non pauci immodicis *l. 5. p. 397.*
 austeritatibus corpus suum affligerent,
 alii autem sacro vitæ contemplativæ otio
 capti penitus literarum studia negligere-
 rent, hinc ejusmodi corruptelis remedium
 adhibere statuit, hancque in rem proli-
 xum sermonem veluti epistolam conscrip-
 sit, sub titulo: *de virtute obedientiæ*. Hic
 libellus præcipue ad Lusitanos dirigeba-
 tur, ut denuo ad rectam semitam redu-
 cerentur illi, quos minus ordinata pietas
 aberrare fecerat: porro cum ejus sollici-
 tudo sese ad omnia extenderet, aliunde
 vero sibi satis compertum haberet, quod
 Religiosorum modestia non modo ad pie-
 tatem populo inspirandam, sed etiam ad
 laicos sibi conciliandos plurimum con-
 duceret, eapropter specialia circa ex-
 ternam morum compositionem præcepta
 scripto tradidit, & hisce regulis, quæ tre-
 decim complectuntur articulos, titulum
 de modestia præfixit, ac minima quæque
 articulatim annotavit. Insuper cum vir-
 tutis, ac famæ suorum discipulorum præ-
 cipue in diversis officiis salutem anima-
 rum spectantibus conservandæ studiosissi-
 mus effet, hinc quoddam majoris longe
 mo-

mo-

Sæcul. XVI.
A.C. 1553 momenti statutum condidit, quod postea per universam Societatem propagatum fuit nam præcipiebat, ut ex Sociis nullus, vel unquam sine comite fœminas, etsi primæ essent Nobilitatis, aut fors infirmæ, inviserent: si vero cum illis conferre, aut earum confessiones excipere cogerentur, res ita instrueretur, ut socii oculis omnia sint pervia, quin tamen de rebus secreto pertractandis aliquid percipere valeat. Denique ut omnibus manifestum fieret, quod hujus legis cultum omnino observari velit, hinc quondam edoctus, quod quidam Societatis Sacerdos jam senio gravis in quadam occasione hoc statutum violasset, mox ad aulam octo Presbyteros convocabat, injungens, ut reus semetipsum præsentibus cunctis tamdiu cæderet, donec singuli ex hisce octo Patribus septem Psalmos, ut vocant, pœnitentiales recitassent.

§. CXXI.

Societas in variis locis propagata.

Orland.
l. 13. & 14.

Cum interea nova hæc Societas semper sese latius diffunderet, & plurima aquireret Collegia, Pontifex ejusmodi Domum Hierosolymis quoque, Constantinopoli, atque in Insula Cypro condere statuit. Porro jamjam in Collegio Romano Philosophia, ac Theologia tradebantur, & Florentiis quoque æque, ac Perusii Col-

Collegium erigebatur: nec minus alte-
 rius fundamenta jacere Lainefius Genuæ
 cœperat: insuper unum in Insula Corfica,
 atque alterum in Monte Regali conde-
 batur, præter Academiam, quam Ca-
 nifius Viennæ in Austria, Antonius Cor-
 duba aliud Collegium in ejusdem nomi-
 nis urbe, & Hermanus Alvaresius Avilæ
 instituebant. Præterea pro Societate ex-
 struebatur Ecclesia Barcinnone, & Profes-
 sorum Domus exurgebat Ulyssiponæ in
 Lusitania, ubi non minus, ac Eboræ in eo-
 dem Regno humaniores literas in Colle-
 gio S. Antonii tradere cæperant. Ablega-
 bat quoque Ignatius quosdam Dominicæ
 vineæ Operarios ad Regnum Congi, &
 Brasiliam, ubi copiosa Evangelici laboris
 messis colligebatur, & Nobrega Brasiliæ
 Provincialis fuerat declaratus Postea Lu-
 sitaniæ Rex instanter a Papa petebat,
 ut pro Æthiopia Patriarcham, atque
 unacum Societatis Patribus Episcopos
 feligeret verum ea res primum sub Ju-
 lio III. decidebatur, qui Joannem Mu-
 gnesium, Andream Oviedum, & Mel-
 chiolem Carnerum nominabat, quorum
 primus in Patriarcham, alter in Epi-
 scopum Nicænum, & tertius in Hiera-
 politanum eligebatur. Hi una omnes
 cum sociis, quos eisdem Ignatius ad-
 junxerat, ac quodam Commissario Apo-
 stolico, cui nomen Caspar Barzeus,
 simul

Sæcul. XVI.

A. C. 1553.

Sæcul. XVI. simul profecti literas deferebant, quæ
A.C. 1553. ab Ignatio ad Abyffinorum Regem
 scriptæ, ac die vigesimo octavo Februa-
 rii Anno salutis nostræ millesimo quin-
 gentesimo quinquagesimo quarto Ro-
 mæ erant datæ. Eodem insuper anno
 Tibure, Laureti, & Syracusis Collegia
 condebantur, tresque in Hispania Pro-
 vincia scilicet Castellana, Arragonen-
 sis, & Guadelquivirana erigebantur,
 iisque singulis suis assignabatur Pro-
 vincialis. Denique etiam Collegium
 fundabatur Valentia in Hispania, aliud-
 que Placentia in eodem regno, simul-
 que agebatur de Collegiis Hispali,
 atque Granatæ
 condendis.

